




ARN. SORBINVS
DE MONSTRIS
PARISIIS
1570













Dni̅ fran[illegible]

ARNALDI SORBINI THOLOSANORVM

Theologi, & Regij Ecclesiastæ, Tractatus de Monstris, quæ à temporibus Constantini hucúsque ortum habuerunt, ac iis, quæ circa eorum tēpora miserè acciderunt, ex Historiarum, cùm Græcarum, tum Latinarum testimoniis.

Dni̅ fran[illegible]

Dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus. Psal. 59.



PARISIIS,
Apud Hieronymum de Marnef, & Gulielmum Cauellat, sub Pelicano, monte D. Hilarij.
1570.
CVM PRIVILEGIO REGIS.







REVERENDISSIMO

IN CHRISTO PATRI AC

Domino, Domino Georgio, Cardinali Armeniacio, Tholosanorum Archiepiscopo, totiq; metropolitano Canonicorum cœtui, ac Catholicorũ gregi, Arnaldus Sorbinꝰ Theologus, S. D.



GRAtißimos olim fuisse Magnatibus, ac nũc gratos eos venire cõspicimꝰ, Reuerẽdißime Cardinalis, qui aut noui aliquid dicere, aut nouam ex Africa animalis speciem, quam illis offerant, adferre videntur. Tanta est enim, ac semper fuit, Gallorum ferè omnium curiositas, vt nusquam non optârint aut inuisa videre, aut inaudita audire: quod scitè annotâsse Cæ-

Iul. Cæsar. lib. 4 Cōmētariorum. Flauius Vopiscus Syracusā. in vita Saturnini Imperatoris

Gallorū curiositas pessima

ſarem ex illius commentariis colligi poteſt. Nec iniuria inconſtās, variū hominum genus atque inquietiſsimū Flauio Vopiſco Syracuſano viſum, & ab ipſo iudicatum eſt. Hoc enim tempore aſſeruari, ne dicam magis ac magis augeri, eam περιεργίαν, nempe curioſitatem, ita omnes omnium hominum oculi intuentur, vt nulla exterarum nationum non putet homines Gallos in canes Venatitios, nihil non ſubodorantes, & omnia ſeu optima, ſiue peſsima olfacientes miſera tranſmutatione conuerſos. Ego intereà mirari non deſino huius miſerrimi morbi pluſquam miſerū in noſtros progreſſum, eiuſdémque finem exitioſiſsimum pariter reformidare. Præſtabat ſanè multa ſimpliciter ignorare, quàm tāta infeliciter ſcire.

Hinc Chrysustomus. Satius est ignorare benè, quàm scire malè. Notum omnibus esse deberet illud Epicteti Stoicorum non minimi eulogium.

Chryſ. tomo. 5. Homel. de Prouidentia.

Epicteti Enchiridio.

Cum tantas res appetas, sic eas suscipiendas esse memento, vt sis non mediocriter incitatus: sed alia prorsus relinquas, alia in aliud tempus differas. *Cuius verba sic propè cõmentatum fuisse Simplicium legimus. Planè (ait) relinqui iubet ea, quæ cum animi ratione præditi vita, naturæ consentanea non cõsentiunt: cuiusmodi sunt sordidæ diuitiæ, principatus, Imperia, delitiæ & voluptates corporis, (quibus & ego nõ iniuria addere possem rerum, quæ omnem humanum sensum superant, vanam, futilémq; peruestigationẽ) quòd fieri nonpos-*

Simpl. commẽt in Enchiridion Epicteti.

sit, vt idem & his rebus occupetur, & animo excolẽdo studeat. Hæc Sĩplicius. En, vt prophanorum scripta (Mecœnas illustrißime) Christianorum vanam arguunt & reprehẽdunt leuitatem. En, vt dextrè qua via sit progrediendum, monstrant.
Psal. 17. *En, inquam, vt populus, quem non nouit Deus, in multis seruiuit illi. En vt filij alienati mentiti sunt ei. Oculis ideò nostris proponenda erant piorum patrum exempla, vt illis edoceremur, vanã curiositatẽ, curiosámque vanitatem, ac præsentaneũ venenum, euitare. Reclamabant olim Laban & Bathuël, auditis Abra-*
Genes. 24. *hæ sermonibus, sibi à seruo delatis. A domino egressus est sermo, non possumus extra verbum illius aliquid loqui tecum. Certum est confeßione*

publica olim clamâsse Dauidẽ, Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me: si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animã meam: sicut ablactatũ est super matre sua, ita retributio in anima mea. Quò spectant Apostoli verba clamantis, nõ plus sapere, quàm oporteat, sed sapere ad sobrietatem, nisi ad excitandos ad Christianam piorum animos modestiam? Quærebat altiora se aliquando Clemens, nisi Petri prudẽtissimi præceptoris obstitisset iudicium, dicentis, quæ summa sunt, silentio honorari volunt. Neque enim (aiebat Basilius) omninò mysterium est, quod ad populares ac vulgares aures effertur: hæc est ratio (inquit)

Psal. 130
Rom. 11. & 12.
Clemẽs recognitionum lib. 1.
Basilius lib. de spiritu sancto. cap. 27.

cur aliqua tradita ſint citra ſcriptũ, vt ne dogmatum traditio neglecta fieret, & in comtemptum veniret apud vulgus, propter conſuetudinem. Aliud enim eſt dogma, & aliud prædicatio: dogmata enim ſilentur, prædicationes verò publicãtur. Valeat iſta Sartorum, Sutorum, & Fabrorum inſipiens ſapientia, vnà cum tota ſtipatorum hæreticorum turba. Ipſi enim meram Theologiã eſſe iudicant, omnia diuinarum literarum myſteria illotis (vt vulgata fert paræmia) manibus perfricare, ac terere. Quidni Patres ſequantur liberi? Nonne omnes hæretici (vt Tertuliani verbis vtar) tument? nonne omnes ſcientiam pollicentur? Quæ enim hodie panificarum non iactat ſuum ſpiritũ ſanctum? Quis fullo aut Car-

Quæ ſit differentia inter prædicationė &. dogma.

Tertul. de præſcript. aduerſ. hæretic.

bonarius, quantumuis ater & hispidus, non reclamat, se non minùs veritatis & cognitorem, & verissimũ assertorem, quàm quiuis veterũ patrum olim fuerit? Hinc probatur verissimum esse illud Græcorum, πολλοὶ ϛρατηγοὶ καρίαν ἀπώλεσαν hoc est multi duces perdidêre Cariam: vt hodie multi magistri coaceruati Galliã deperdunt miserè. Hæc multitudo docentium, indoctam, rudem & aggrestẽ propè Galliã nostrã reddidit: quàm ad meliorem aliquando mentem reducere dignetur Dominus.

Erasmus Chilia. 2 cẽturia. 7

2. Timoth. 4.

Ego-ne tetricũs ideò istis, quibus monstra Africæ Gallicanæ offero, quíque succedentia mala edocere videor? Tantæ curiositatis plenis hominibus ingratúsne esse potero? At quid mihi cum impiorum misera cu-

femerus

piditate? Tibi hæc offerũtur (CARDINALIS AMPLISSIME) tibi, inquã, qui horum intuitu, & consideratione, & communem patriæ miseriam, pellucidißimum veluti ad speculum contemplêre, perspectam doleas, mecúmque in proximum, nisi Deus manum supposuerit, ruituram defleas. Quis enim deformem ac deturpatam Eclesiæ Gallicanæ pulchritudinem siccis poterit genis conspectare? hæc hodie mõstrorum omnium speciem præ seferre videtur: hæc hæresum omnium fœtidißima in vnum, conficiendis misellis filiorum suorum panibus, conglomerauit, vt aliquando futuram coadunationem omnium in vnum hæresum prædixisse Irenæum constat. Verendum certè, ne omnium impijs in-

Irenęus contra hæres. valenti. lib. 5.

duta moribus totidem patiatur calamitates & miserias, diuinarúmque castigationum omnes eadem ictus in se recipiat, ac patiatur. Si enim naturalibus ramis non pepercit, vide, Gallia, ne tibi non parcat. Iudæi enim propter iniustitias suas flagellati sunt: nobis verò in tãta fidei & morum corruptione caligantibus venia dabitur? Notum sit omnibus illud Dauidicum, Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrabit, arcum suũ tetendit, & parauit illum. Mirabitur aliquis, ac fortè probro dabit, & superstitioni tribuet, quòd monstra, eorúmque temporum miserias, accuraté, ac quodammodo diligenter exquisierim, quasi aliquid rebus huiusmodi authoritatis, aut virtutis delaturus. Verùm illis mentem nostrã

Rom. 11.

Psal. 106

Psal. 7.

perspectam esse velim, cuius nunquã eum fuisse finem intelligãt, vt docerẽ creaturæ tribuẽdum esse aliquid, nisi quantum Deus aut naturæ eius indiderit, aut pro eius symbolo, aut significatione vti voluerit. Deũ autem vti sæpe rebus naturalibus significatiuè, citra confusionem naturalis proprietatis, arcus cælestis, & aliorum exemplorum probationibus constat. Seposita ergò Gentilium superstitione, id duntaxat persuasum esse omnibus cupio: rerum scilicet terrenarum & inferiorum aspectu, & mirum in modum laudandum esse suum opificem, & earundem a naturali ordine immutatione inuisa & inassueta, nedũ suspici naturæ (quæ in monstris dici solent) peccata, sed & prudenter, sibi

peccati conſciis, timere de futuro & proximo Dei iudicio. Si enim terrã teſtem, tribulorum & ſpinarũ productione, & accuſatricem criminũ noſtrorum, & ſcimus, & fatemur, quæ noſtra culpa à naturali curſu & generatione diſtracta eſt, cur nõ itidem ſentimus, vbi naturæ vſum circa animalium procreationẽ inuerti videmus? Non ergò genethliacã aut aliã docent ſcripta noſtra vanitatem, ſed eum, qui initium eſt ſapientiæ, timorem ſcilicet Domini. Eum, in quo viuimus, mouemur & ſumus: eum (inquam) cuius admirabilem paucis Pſaltes deſcribit & bonitatem & magnitudinem dicẽs. Omnia à te expectant, vt des illis eſcam in tempore. Is dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum in-

Act. 17.

Pſal. 130

nocantibus eum. Eum doceo, qui dominatur à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, qui Israëlem regit, deducitque, velut o-
Psal. 51. *uem Ioseph. Huius cœli enarrāt glo-*
Psal. 18. *riam: huius opera manuum annunciat firmamentum. Hūc, quem tanta hominum impietas multis incognitum testatur, vt timendum sit, ne (in tanta hæresum & controuersiarum confusione) à multis aræ ignoto (Atheniensium veterum more) Deo*
Acto. 17. *consecrentur. Quam speculatus proximam miseriam, malui à rerū ter-*
Dioge. Laërt. in vita Thaletis. *renarum contemplatione mortalium animos ad superna erigere, quā Thaletis imitatus proteruiam, cælestia rimando in obiectam pedibus foueā turpiter cadere. Deus bone, quanta fuit illius fabula, quantóque risu di-*

gna? Eum enim cùm anus vidisset in fossam procubuisse, eius statim exprobrat temeritatem ac imprudentiam. Cælestia, ait, rimaris, & terrena non vides? Illius ergò, & hæreticorum multorũ exemplis instructus, qui ascendunt vsque ad cælos, vt descendãt vsque ad abyssos, malui ab imo ad superna hominem erigere, quàm à supernarum rerum temeraria contẽplatione, à gloria quasi oppressos, & obcæcatos, in confusionis abyssum miserè demergere. Psal. 106
Nemo enim est, qui nesciat ex hac monstrorum meditatione (quæ his postremis temporibus maxima copia & multitudine apparent) portendi & mundi senium, & proximum interitum. Delirantes iudicamus vno ore homines, qui proprij la-

boris obliti, omnia sursum deorsúmque euertũt. Talem iudicaremus sartorem, qui vestis manicis supponeret caligas, aut quid aliud, non minùs vesti inconueniens: aut qui vestimenti confusè disponeret consuetum & necessarium ordinem, nec solùm delirum iudicaremus, sed & vitæ hominis illius instare finem inficiari nullus posset. De rerum omnium infimarum mutatione loquens Psaltes,
Psal. 101 Omnia, ait, sicut vestimentum, veterascent, & sicut opertorium mutabis ea, & mutabuntur, tu autem idẽ ipse es, & anni tui non deficiẽt.
Hebræ. 8 Et, vt ait Apostolus, quod antiquatum est, senescit, & prope interitum est. Antiquatum esse mundum non solùm temporum longè latéque dilatata cõmõstrare possunt secula, sed

la, ſed & naturæ (quod pace illius dixerim) delirantis inuerſa & cõfuſa opera. Hæc enim ne dũ androgyna corpora, ſed & pluſquam androgyna hominum & corda, & affectiones, & opera inter Gallos maximè producit, & procreat, vt ſub tractatus noſtri finem claré mõſtrabimus. Quòd ſi inter Græcos id obſoleuit cõſuetudinis, vt ebrioſos & deliros oleo & ſale perungant, à delirio & ebrietate ſanandos, cur nõ proderit ſapientiæ ſal ex veterum mnuomentis excerptum, ſcripturarúmque ſacrarum ſucco, cuius auditu piorum cordibus oleũ hilaritatis, corroborandis infirmioribus aptiſſimum, inſtillatur? Sale vt cõdîta volebat olim Dominus ſacrificia, ita & diſcretione & prudentia condî-

Cælius Rhodi. lib, 6 rerum antiquarũ cap. 1.

Leuiti. 2, Numerorum. 18.

ta corda nostra exigit: cuius quidem salis copia non aliunde suppeditari commodiùs poterit, quàm ex illa tot exemplorum & contemplatione, & meditatione aßidua: vt cordibus ritè imbutis, & sermo noster sale cōdîtus, & opera nostra diuinæ gratiæ oleo, quo piorum corda quotidie perfundũtur, firmata, hoc totum corpus nostrum mysticum sibi aliquãdo sapiat, deliriũ abiiciat, ac in mẽtem saniorem restituatur. Is est ideò ac semper fuit, eritq; perpetuò, tractatus huius scopus, finísque præcipuus: eò spectâsse, quicquid hac in parte operis nauatum sit, pios omnes admonitos velim.

Colloss. 4.

Suscipe ergò (Mecœnas humanißime) has laborum nostrorum qualescúnque quisquilias, & eo, quo me

dignatus es paterno amplecti animo, hos nostros tibi consecratos labores accipe. Quis enim plantauit vineam, & de fructu eius non edit? 1.Tim.5 Tua effectum est opera, vt qui quõdam inuisus erat Sorbinus, nũc multis & visus, eiúsque tenuissimus labor, piis saltẽ, gratus videatur. Faxit Deus optimus maximus, vt victurus Ecclesiæ toti Christianæ, tibi, gregique tuo Tholosano (cui id quicquid est nostri operis tuo nomine consecrare ausus sum, maiora aliquando tibi, tuísque ouibus oblaturus, diuina adiuuante clementia) & gratos, nec infructuosos labores offerre valeam. Gratia Domini nostri Iesuchristi te diu sibi, suóque Ouili saluum & incolumem seruet. Vale Lut. Pari. 23. Calend. Sept.

AD SPECTABILEM
DOCTRINA, ET VITAE
integritate Virum, Arnaldum Sorbinum, Doctorem Theolog. eminentiss. & Regium Ecclesiastem verè Euangelicum,

Antonii Valetii Medici

Epigramma.

SEu, SORBINE, tua sacrosanctũ voce Tribunal
Personat, ore moues dũ Regia corda diserto
Spectantúmque vides oculos te mille loquentem:
Seu sinis in lucem doctas prodire camœnas,
Dædala quas tibi mens, grauibus licet anxia curis,
Excutit: obstupeo attonitus, mirórque, quòd ipse
Vnus ab Albano Permeßi flumina monte
Hauseris, atque adeò siccâris gutture prono,
Sorbendum nobis vt nil, SORBINE, supersit.
Nempe tibi non est nomen sine numine, non est.
Huberiùs quenquam sacros sorbere liquores
Non decuit, quàm qui sanctos conuertit in vsus,
Ante Deum præco, fidei Tubicénque sacratæ,
Quos alij maculant, queis sordet purior vnda.
Hic tuus iste liber libris è pluribus vnus
Doctrinæq; tuæ, pietatis & ampla ministrat
Argumenta, quibus quiuis tibi porrigat herbam,
Alternásque manus, me saltem iudice si sit
Doctrina, pietate, fide, certare neceße.
Nam mihi si memori tua scripta reuoluere mente
Fas est, priscorum sic mystica sensa parentum

(Exemplo quæ ſint nobis) in noſtra reducis
Tempora, penè ſibi vt videatur in illa relabi
Secla vetuſta, modum vitæ melioris inire
Quem iuuat, ádq; Dei nutum componere mores.
Monſtra recenſentur ſortis præſaga ſiniſtræ:
Quę velut ex annis rediuiua prioribus, Orbi,
Ob fidei lapſum, feralia damna minantur.
Hæreſis ante etenim ſurgentia tempora, nullis
Viſa fuit monſtris fœdari Gallia. verùm
Cœperunt tanti poſtquam contagia virus
Serpere, & impuros hominum perſtringere ſenſus,
Monſtrorum ſegetem peperit monſtroſa libido,
Hæreſeóſq; parens, atq; impietatis alumna,
Scilicet arbitrio dum viuit quiſq; ſoluto,
Exhorrens Chriſti, fideiq́; capeſſere iuſſa,
Vnicus imperitat, tenet & ſua caſtra Cupido:
Pectoraq́; inceſtus labefactat adultera, donec
Viderit in formas verti pecudúmq; ſuúmq;.
Teſtis erit nobis, teſtis Germania: quæ cum
Se Chriſto oppoſuit periuri fraude Lutheri,
Saxonia innumera monſtrorum prole referta
Condoluit, iuſtas ac ſenſit numinis iras.
Nam Deus effigie voluit quos ſponte creari
Ipſe ſua, dolet immemores Autoris habere.
Et ſimulac animus ſenſim declinat eundo,
Priſtina ſic toto mutatur corpore forma,
Mutatos animos vt corpora verſa ſequantur.
Hæc oſtenta velim Rex alta mente reponat:
Diſcant vt Galli cœlo, Chriſtoq; fideles,

Illius exemplo moniti, fore: túque celebris
Regalis Doctor merito doneris honore,
Cui fuit in votis miracula tanta referre.

AD FACVNDISSIMVM Theologum, A. Sorbinum, Francisci Amboisij Parisini Epigramma.

NAturæ, Genij, Phœbi, Musæq; refulget
Vis, Sorbine, tuis prodiga prodigiis.
Naturā ast, Genium, Phœbum, & Musā entheus ardor
Exuperat, lapsus sedibus æthereis.
Naturæ, Genij, Phœbi, Musæq; sacerdos
Non rectè: at rectè diceris esse Dei.

Musis sine tempore tempus.



IN COMMENDATIONEM AVTHORIS ET OPERIS.

Nomine fuit quondam, cum dicebatur vbiq;,
  Portento & monstris Gallia sola caret?
At tibi nūc aliter, Doctor Sorbine, loquēdum est:
  Inter enim Gallos, nil nisi monstra, vides.
Naturæ errorem monstri si nomine censes,
  Et quæ portenti nomen & omen habent.
Monstra magis dicas, quæ mens aut turgida fastu,
  Aut non integra cognitione parit.
Qui negat esse Deum, Regem qui spernit, & exlex
  Inter monstrosos hic referendus erit.
Quid si inter Gallos mult'i sunt nominis huius?
  Monstrorum infelix Gallia mater erit.
Sed tu diuino monstrorum qui caput ense
  Discindis, עור-כל nomine dignus ades.
Herculis exemplo monstrosas perdere formas
  Ἀτραπὸς εἰς δόξην ἐςὶν ἑτοίμη ταύτη.

Faciebat Adrianus Tarterius, Campanus.

IN ERVDITISSIMVM spectatißimi Viri & Theologi longè celeberrimi, D. Arnaldi Sorbini, Regij præconis librū de Monstris, F. Io. BENEDICTI, *Franciscani Ancenisiensis,*

ΕΠΙΓΡΑΜΜΑ.

מלכים השכילו והוסרו
ושרים שמעו קול אלהיכם:
מלכות חסרנה גאותנין
וכהנים הילילו יגיעיכם:
יראו גם רגזו כול בני אדם
פלאות ומופתים לאות לכם:
אשר ואיד ורע מגליגו
לחרבה ולשמה תהי ארצכם:
קחו ספר נכבר דְסוֹ״רְ בִי נוס
ושימו כוח גם מאריכם:
לדברי קהלת להמלך
שמו יצא על כלמל גבוליכם
בנ״לך

HOS VERSVS HEBRAICOS ITA LAtinate donabat Anto. Valetius, Medicus.

HVc vestras, dociles Reges, conuertite mentes:
Hîc Christi vocem proceres audite Monar-
Vos ô Reginæ fastum demittite vestrum: [chæ:
Vósque Sacerdotes vestros horrescite casus:
Cuncta Adami patris trepidet formidine proles.
Plurima gignuntur (spectacula tristia) monstra,
Quę rerum euentus signent instare sinistros,
Scilicet excidium terræ miserabile vestræ.
Porrectum vobis Sorbini sumite librum
Veridici: & totis contendite viribus omnes,
Illius vt monitus sint alta mente reposti,
Cuius fama volat totum diffusa per Orbem.



IN TRACTATVM DE PRODIGIIS D. ARN. SORbini, à Sancta fide, Doctoris Theologi grauissimi, & Cõcionatoris Regii meritissimi, Aredii le Roy Epigramma ad Lectorem.

PRodigiis superi quæ detexêre nefastis,
Euentúsq; mali quas voluêre notas,
Explicat hîc Vates, sed non sine numine Diuûm,
Quẽ claro illustrat nomine SANCTA FIDES.
Nempe quòd haud facile est dubiis affingere signis
Censuram, nisi te SANCTA FIDES *doceat.*
Disce hinc ergò aliquid nobis prostare sinistri,
Diuináq; suum robur habere minas.



IN LIBELLVM DE monſtris à D. Sancto-fidio Regis Theologo editum, Io. Auratus Poeta Regius.

MOnſtra deiq; minas, diuinātúmq; furores,
Et dubios pueros, ambiguáſq; feras,
Somnia, viſa, notas, miracula cætera rerū,
Sunt quos ſcire piget, pars nihil eſſe putat.
Hos tamen aſſiduè manifeſta exempla refutant,
Teſtibus externis, hiſtoriisq; ſacris.
Ex quibus euentus mirandos ſæpe profanos,
Sæpe viros conſtat præcinuiſſe pios.
Credulus vtq; nimis, ſic his incredulus errat,
Dum leuiora cauens in grauiora cadit.
Námq; ſuperſtitio, ſi quam maior facit æquo
Hæc pietas, minùs eſt impietate nocens.
Et quocúnque modo potius metuenda minantū
Numina ſunt ſuperûm, quàm metuenda nihil.
Nam diuinam artem penitus qui ſuſtulit, omne
Diuinum, atque ipſum ſuſtulit ille Deum.
Quod tu, Sanctifidi, tua quæ ſolertia rerum
Magna eſt ſacrarum, maius & eloquium:
Ingenio obſeruans, in te quod pollet, acuto,
Et nata hoc anno plurima monſtra videns,
Colligis in paruum myſteria magna libellum,

Sed non auditor quæ nisi sanus amet.
Sana quòd vt sanis sunt omnia, sic quoque contrà
Insana insanis cuncta dat esse Deus.
Attamen hunc referes tu sedulitatis honorem,
Quòd tua, Sanctifidi, sit tibi sancta fides.
Qui Regem & proceres, quà fas tibi, vera monẽdo,
Vt memores veri sint facis vsque Dei.



EXTRAICT DV PRIVILEGE DV ROY.

PAR Priuilege du Roy, eſt defendu à tous Libraires, Imprimeurs et autres qu'il appartiẽdra, en quelque ſorte ou maniere que ce ſoit, d'imprimer ou vendre aucunes des œuures de M. Arnauld Sorbin R. de ſainčte foy, ſoyent de ſon inuention, ou tradučtion, ſinon au Libraire & Imprimeur, auquel ledičt Sorbin en aura dõné charge & puiſſance, & ce iuſques à neuf ans entiers & conſecutifs apres la premiere impreſſion qui ſera faite de chaſcune deſdičtes œuures, ou tradučtions, à peine de confiſcation des liures imprimez par autres au contraire, & d'amende arbitraire. Ainſi qu'il eſt plus amplement contenu eſdičtes lettres de Priuilege ſur ce données a Paris le 15. iour de Decembre, mil cinq cens ſoixante & ſept.

Signé. DE L'AVBESPINE.

L'an mil cinq cens ſeptente, & le troiſieſme de Septembre, ledičt Sorbin a permis à Hieroſme de Marnef & Guillaume Cauellat, d'imprimer ou faire imprimer ce preſent liure intitulé Tractatus de Mõſtris cũ ſuis figuris, tant en Latin qu'ẽ François, & iceluy debiter & mettre en vente, ſuiuant le Priuilege ou extraičt d'iceluy cy deſſus plus à plein exprimé.







ARNALDI SORBINI

THOLOSANORVM THEOLOGI, & Regij Ecclesiastæ, Tractatus de Monstris, quæ à temporibus Constantini hucusque ortum habuerũt, ac de iis, quæ circa eorum tempora miserè acciderunt, ex Historiarum, tum Græcarum cum Latinarum testimoniis.

QVIS non sæpè mirabitur, miseram hominum nostri temporis cæcitatẽ, in tanta bonitatis diuinæ eiusq; lucis incõprehensibilis amplitudine? Ad nostra enim vsque tempora, pia Gallorum propagatio, quam in tenebris viderat lucem magnã, liberè amplexa est: & quanta fieri potuit cura, ac diligentia, quantóque labore, semel inuentam lucẽ vidit, visam agnouit, cognitã amplexa est, semel amplexam retinuit, ac pro viribus auxit. *Esai. 9*

Huiusprofectò piȩ ſynceritatis ac ſyncerę pietatis certiſsimas nedum Chriſtianorum regum veſtigia præbuerũt notas (quorum vtinam qui ſe aut eorum proſapia natos gloriãtur, aut ſua liberali manu ditatos fatentur, mores & pietatem imitentur) verumetiã omnium ferè familiarũ iam propè æternitati conſecrata ſanctimonia: cuius tot templorum nobiliſsima ædificia, cœnobiorũ ditiſsimi prouentus & penè infinita, id genus dona quauis luce clariora teſtimonia, ipſiſsimis lippis vt vulgo dici ſolet, & tonſoribus eſſe poterant, niſi nos tanta tenebrionum noſtri temporis impietas tanto priuâſſet beneficio. Hucuſque ideo pia de dilatandis reipub. chriſtianæ finibus, diſceptatione certatum eſt: nemo non cogitabat qua via, quibúſque mediis, Chriſti honorificum regnum ornaretur. Ali⁹ atque ali⁹, alio atq; alio modo, Chriſto obuiã ibat. In ſũma terra

cùm eſſet labii vnius, vna fide eodém que amplexu, Oſiãna filio Dauid clamabat indeſinenter. Verùm (ó mores & tempora:) hanc Gallorum pietatẽ omnium ore nationum laudatiſsimã, in impietatem ſubitò mutatã, quis eſt qui non videat, doleat & perhorreſcat Quis, inquam, non cum pijſsimo ſene Polycarpo exclamabit, uolens noléns que dicet, ad quæ nos reſeruaſti tempora? & voce lugubri, cum Ieremia, quomodo obſcuratum eſt aurum mutatus eſt color optimus? Denique cum Apoſtolo, quæ nationum extera rum non exprobrabit, exclamans liberé? O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinauit non obedire veritati? quid enim vltra debuit facere huic vineæ do minus, quod non fecerit? Eam enim, de Aegipto tranſlatam, primò plantauit, Dux itineris illius fuit in conſpectu omnium nationũ, quãdiu in vaſta huius ſeculi ſolitudine pertranſiuit:

Threnorum *Galatæ, 3* *Eſaie 5.* *Eſaie. 79.*

eam, hucuſque, tutatus eſt ab Aprorũ, ferarùmque omniũ iniuriis & oppreſ
Hiero. contra Vigilantiũ ſionib⁹. Hæc inquã ſola Gallia monſtris caruerat ad Hieronimi vſque tẽpora: nunc autẽ, in Affricam, penitus conuerſa videtur, quę ſingulis diebus noui aliquid parturit, ſiue ornatum, ſiue mores ſpectes vt interea taceam pietatis eam, quæ omnibus incõcuſſa, integra atque inuiolata eſſe debet: repẽtinam atque momẽtaneam metamor
Malach 1. phoſim: adeò vt iure dicere valeat, Dominus. Filius honorat patrem, & ſeru⁹ dominum ſuum. Quod ſi pater ego ſũ
Deut. 32 vbi amor meus? & ſi dominus, vbi timor meus? O nationem omnium profectò ingratiſsimam! vtinam ſaperet præterita, præſentia intelligeret, & nouiſsima præuideret. Nunquid quaſi auis diſcolor facta eſt hæreditas mea,
Ieremie 12. dicit Dominus, & quaſi ſpelunca Hyænæ? Venite omnes beſtiæ, & properate ad deuorandam eam. Quo enim

penicillo, clarius depingi poterat, & Gallorum miſeranda incõſtantia, & eorum futura extrema calamitas? nullo profectò. Noſtrum ideo eſſet prophetarum inhærere oraculis, & pia eorum amplecti conſilia, experturi, an aliquãdo miſerator & miſericors Dominus, tot miſeriis & calamitatibus finem impoſiturus ſit.

Quis enim nõ utriſque auribus audiet illud Dauidicum, nunquid obliuiſcetur miſereri Deus, aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas? Quo modo miſeretur pater filiorum ſuorũ, miſertus eſt Dominus timentibus ſe, ipſe enim, cognouit figmentum noſtrum, qua & quam fragili carne, cõfictì ſimus. Ideo, nunquam non ſuorũ miſertus, miſerationis ſuæ certiſsima ſigna præſtitit. Adamũ enim, ſtatim à lapſu, proprio nomine vocat, gratiæque, loci, ac vitæ ſtatus mutationẽ, in locum peccati, & tranſmigrationẽ ad

Pſal. 76

Pſal. 77

Geneſ. 3.

mortem, commemorans: Vbi es, ait,
Genes, Adam? quaſi diceret, vide quanta, &
3: & 4. quàm varia ſit loci commutatio. Oc-
ciderat Cainus fratrem ſuum, nec ta-
men oblitus miſericordiæ ſuæ pater
ille miſericordiarum, & Deus totius
conſolationis, deſtitit clamitare: Caĩ
Genes. 7 vbi eſt frater tuus? errârũt populi ſub
8. 18, & Noach, errauit & miſera Sodomorum
19. ac Gomorreorum natio, Loth pij, &
fideliſsimi Abrahæ temporibus, num
quàm intereà, ſalutarib⁹ monitis de-
Exod. 6 ſtituta. Pharaonẽ ſæpé erraſſe, peccâſ
7. 8. 9. ſe & multoties Iſraeliticũ populũ, ſa-
40, Pſal. crarum literarum conſtat monumen-
105. & tis: Adfuiſſe autem media, quibus ab
106. impietate ad pietatẽm, à tenebris ad
lucem, denique, à morte ad vitam, re-
uocari poſſent, quis inficiari poterit?
Quid, ſi cœlum & terram, diuinæ bo
nitatis præcones, clementiæque diui
næ egregios concionatores, in dies fie
ri conſtet? Quid dico, clementiæ illi⁹

imò & æquiſsimæ illius iuſtitiæ, quæ, & ſi pœnas differt aliquandò, tacétq;, mente tamen memori facta nefanda notat, aiebat Solõ ille ſapientiſsim⁹. Ergò, qui cœlum, illiúſque nubes, fœderis ſui fidos, Noë temporibus, teſtes adhibuit, promittens ſe terram nõ amplius cataclyſmo purgaturum, is eundem futuræ vindictæ ſuæ certiſsimũ aſſertorem ſacrarum ſcripturarum prędixit teſtimonijs. Is, inquam, qui tacẽtib⁹ hominib⁹, lapides loquuturos pollicitus eſt, priuſquã nefanda hominũ occultari poſſent crimina. Eos pudeat ergò qui laruis ſepulchralibus deformiores, effectíque criminum omniũ vermicina, pii ac veré chriſtiani corã hominibus videri ſtudent, parum memores opprobrij omnium miſerrimi, quod ſibi, adueniente magni iudicii die, paratum eſt. Tunc enim omnes manifeſtabũtur, accepturi propria corporis, ſiue bonum ſiue malum: tũc pro

Solonis verba

Geneſ. 8

Matth. 24.

Luc. 19.

2 Corin 5.

Matth. 25.

Pſal. 49

fectò, exiguo dabitur misericordia:
Sapien. 6. tunc inquam, potentes potenter tormenta patientur. Eia, ideo tantæ confusionis memores, tantóque damno, nempe priuatione cœlestis beatitudinis, abigantur procul tot criminũ miriades: hæreseωn, & impietatum omniũ erradicentur semina, niteat inter Gallos vetustissima Gallorum pietas: vigeant piissimæ affectiones, nutriãtur sanctissima fœdera, coniũgat omnium animos vna fides, perfectissima charitate grauida. Tunc enim leges, tunc iura, tunc Principum iussa, inter subditos, certissimum habere locum poterunt. Tunc pax, cõcordia, mutùsquepopuli totiusconseusus vigebunt. Tunc vrbes, tunc ciuitates & regna, numeris õnibus absolutapatebũt. Facillimus omnium nationũ apud nos, tutissimusqueerit accessus: nósque pacatè ac tutè vicissim aliorum lustrabimus regiones: eo demum fiet, vt & ter

ra ſit labij vnius, & vt vnitatis fidei confeſsione, omnia ad ius quoddam commune reduci videantur.

Verũ enimverò, miſera eſt omniũ noſtrũ cæcitas, ne peſsimã ingratitudinem dicam, qua fit vt tot, tantàque oblata beneficia reiiciamus, & porcorum more, margaritas pedibus calcãtium, impiiſsimis noſtris conculcem⁹ affectibus. Nemo enim non viuit ſuo more, nemo non arbitria propria ac leges tuetur & veneratur. Nemo nõ incluſa pectori crimina, palam exerit & propalat, ſpreta diuinæ bonitatis liberali clementia: adeò, vt iure clamare poſsit illud Prophetæ. Ecce ego ad gentem, quæ neſciebat me, expandi manus meas tota die, ad populum incredulum, qui graditur in via nõ bona, poſt cogitationes ſuas. Popul⁹ qui ad iracundiam prouocat me, ante faciem meam ſemper. Quis enim in tanta nefariorum criminum confuſione,

Eſaia. 65.

Amos. 3. ſibi ſecuritatem polliceri poterit? Leo rugiet, quis non pauebit? Dominus locutus eſt, quis nō pertimeſcet? Domine, ſi ſic viuitur, & in talibus vita

Esaie. 38. ſpirit⁹ mei, corripies me. Hoc-cine eſt chriſtianè viuere? nullis, ſcilicet, aut diuinis, aut ciuilibus contineri legibus? nullis commoueri diuinorum o-

Psal. 110. raculorum comminationibus? nullis, inquam, diuini flagelli ictibus, à cœpta ſemel impietatis via retrahi? nōne hoc potius eſt fronte meretricis armari, quàm humili Chriſtianorum facie ornari? Quis enim neſcit ſanctum & terribile nomen Domini? Quem

Bernar. ſup. cāti Ser 23. latet timorem Domini eſſe initiū ſapientiæ, tumorem contrà certiſsimum vt cum Bernardo loquar, inſipientiæ rudimentum? non potuit ſine tremore Iacob angelos aſcendentes & deſ-

Geneſ. cendentes contēplari: non potuit diuini luminis fulgorem, corde impauido conſpicere: & nos criminum no-

ſtrorum laqueis inuoluti, harumq́; te
nebrarum opacitate excæcati, non vi
debit Dominus, nec intelliget Deus *Pſal. 51*
Iacob, impauido corde dicere audebi
mus? Vidit hæc, hæc inquam vidit Do *Deute.*
minus, & ad iracundiam cōcitatus eſt: *32.*
quia prouocauerunt eum filii ſui, & fi
liæ. Excitatus eſt Dominus tanquam
potens crapulatus à vino. Hinc (Piiſ-
ſime Lector) illæ miſeriarū noſtrarū
lachrymæ, hinc cædes, hinc rapinæ,
hinc ſacrilegia, hinc denique omnia
intemerato Gallicanę corpori, manu
ſæuiſsima inflicta vulnera. Hæc fuê-
re Vuandalicæ pluſquam perſecutio-
nis noſtræ, funeſta primordia. Quis
enim neſcit tot criminum millia, quæ
in dies magis ac magis gliſcunt, atque *Pſal. 7*
exuberant, diuinæ manum iuſtitiæ in *Deute.*
propria pectora adarmaſſe, vibratum *32.*
q́ue iamdiu gladium, quo carnes de-
uorarētur noſtræ, propriis infixiſſe viſ
ceribus. Quis neſcit, iure pluſquam

optimo, dulcissimam matrem in ingratissimos dicere posse filios, illud
Ouidius Pæliæ morientis.
libro. 7 *Quid facitis nati, quis vos in fata parentis.*
Metam. *Armat?* Apage, Apage, procul abigãtur crimina, cordisque oculis, diuinæ toti clementiæ inhæream⁹: hæc enim solẽ suũ oriri facit sup bonos & malos
Math. 7 pluit sup iustos & iniustos miserator
Psal & misericors Domin⁹, patiẽs & mul-
102. 110 tum misericors, cuius miserationes su
& 111. per omnia illius opera: cuius inquam
& 144 semper tanta fuit clemẽtia, vt nusquã clamantium ad se vocem spreuisse cõ-
Psalm. stiterit. Quid spreuisse vocẽ dico? nõ-
105. ne certum est, nullum nõ semper mouisse lapidem, vt peccatores à malo ad bonum, à peccato ad gratiã, & a morte ad vitam reuocaret? Non ante ma-
Genes. 6 ximi vastitatem, immersioneq́ue ca-
& 7. taclysmi misisse certũ est, quàm Noë Patriarcham, futuræ vindictæ præconẽ, miserrimo dedisset populo. Quis

enim nescit,piissimum Loth barbaræ illius nationis Sodomiticæ infandam reprehendisse turpitudinem? Quot signis, quot mirabilibus portentis, obduratissimum Pharaonem ad obediẽtiam præstandam prouocatũ scripturę sacræ testimoniis, antequã maris fluctibus inuolueretur, legimus? Quæ, vt omnia paucis complectar, nunquã populo dei mala immissa fuisse palã est, nisi prius signis aut Prophetarum oraculis ad pœnitentiã prouocato? Et quid aliud sonant sapientiæ diuinæ verba? vocaui & renuistis: extẽdi manũ, & non erat qui aspiceret. Nũc in hæret manus parieti, Balthasaris impietatem (sacris enim templi vasis ab utebatur) arguens & ad pœnitentiã vasorúmque restitutionem prouocãs. Nunc armatus in cœlo apparet exercitus, Iose. teste vt populus Iudaicus de futuræ cladis aduentu admoneatur. Et vt paucis expediam, nunquã de-

Prouer. 1.

Daniel. 5.

fuêre,vindictæ diuinæ certiſsima ꝑlu
dia & præmonitiones,quib⁹ pia plebs
ad ineũdam,cum pœnitentia gratiam
inflammaretur,eòſpectant ſtellæ ſæ-
pè crinitæ, igneæ lanceæ,tonitrua ali
quando & fulgura: quæ quanquam
à naturali aliqua diſpoſitione tanquã
quodam ſuſcitabulo,ortum habeant:
nihilominus tamẽ mediis huiuſmodi
vſum fuiſſe Deum, aut obſignandis
promiſsionibus, aut deterrendis im-
piorum ceruicibus variis ſacræ pagi-
næ locis comprobari poteſt. Hinc eſt
quòd ſigna futura prædixit. Seruator
in Sole,Luna & ſtellis, in gentiũ preſ
ſura, & fluctuũ maris perhorrendo ſo
nitu.Quis ergò ſanæ mẽtis poterit nõ
mirari,quod propriis hiſce dieb⁹ chri
ſtiane conſpexiſti oculis: vidiſti duo-
rum capitum confuſa, & in vnũ, mẽ-
bris præcipuis diſtinctis, conglomera
ta corpora: vidiſti inquã,& fortè mi-
ratus es. Dubium profectò, ne tanta

cõmonitione, ſemel inſtructus in maiorem multò rapiaris admirationem, ne cordis dicam tremorem. Non deerunt forté Anaxagoræ ſimiles, Lamponis præmonitionem eludentes, vt quondam apud Plutarchum accidiſſe legimus, allato ad Periclem arietis, cum vnico cornu nati capite. Is enim diuiſam dominationem in vnum cogendam eo portento, prænunciari dicebat. Anaxagoras argutus Phyſiologus, id vanum, atque futile iudicabat. At nihil obſtitit, quo minus & philoſophus & vates ſcopum attigerint, alter cauſam, alter finem rectè commẽtatus. Sic enim impios monſtrorũ aduentu non perturbari ingenuè teſtatur Salomon. Quid ſi monſtra poſtremis temporibus obortura Eſdras præuiderit. Ait enim, ignis frequenter remittetur, & beſtiæ agreſtes tranſmigrabunt, & mulieres menſtruatæ pariẽt monſtra. Quæ omnia ferè hodie tam

Plutar. in vita Periclis.

Eccleſ. 17.

4. Eſdræ 5.

ſunt oculis noſtris peruia, quàm quæ quiuis dixerit, omnium perſpectiſsima. Quis enim eſt qui neſciat poſtremis hiſce diebus, multos immaniter efferantis feræ faucibus abſorptos, atque impiè fuiſſe trucidatos? Paſsim deuorantur pueri ac virgines, perturbātur vndique coloni, &, vt breuius dicam, nemo extra ciuitatis mœnia nō extremo pauore concutitur. Nec interea eſt, qui putet Diuinam inſtare vltionem, tot alioqui ſignis atque portẽtis commonefactus. Maxima ſcilicet hominum pars terrenis inhians cupiditatibus terrena dũtaxat ſapit, immemor quorſum ſummus rerum opifex, os dederit ſublime homini, cœlumq́; videre iuſſerit & altos ad ſidera tollere vultus. cùm tamen nemo neſciat hæc iamdiu Eſdræ manifeſtata fuiſſe. Ridebit fortè hæc ſtultus & inſipiẽs: Sapiens verò nedum mirabitur, ſed ad eam recurret ſapientiam, quæ ſcit,

præterita, ait Salomon, & de futuris æſtimat: ſcit verſutias ſermonũ & diſſolutiones argumentorũ: ſigna & mõſtra ſcit, antequã fiant, & euentus tẽporum, & ſeculorum. Vir inſipiẽs (ait Pſaltes) non cognoſcet hæc: & ſtultus non intelliget. Hæc intelligite inſipientes in populo, & ſtulti aliquando ſapite. Rideat ideo mundus, quantũ volet, cõmonitiones huiuſmodi. Piorũ enim perpetuis conſuetudo fuit tẽporibus, omnia ad propriæ ſalutis vtilitatẽ conuertere. Diligentibus enim Deũ omnia cooperãtur in bonũ. Sed quid aliud dictione τέρας exprimitur, quàm monſtrum, ſiue capias pro re, quæ ſua ſingularitate monſtratur, ſiue pro ea, qua aliquid myſterii, vltionis proximæ oſtenditur: monſtri interea vox ſemper manet. Quod autẽ ſecundã patiatur ſignificationẽ ne dũ ex Romanorum conſuetudine colligi poteſt, qua ex monſtri euentu ne- Rom. 8

mo non perturbabatur, verumetiam
2. Ma- ex eo quod Iudæi ipsissimi Antiochi
cab. 5. temporibus, visis per vniuersam Hie-
rosolymorum ciuitatẽ equitibus per
aëra, rogabant omnes in bonum mõ-
Aristo. stra cõuerti. Quod si, iuxta Aristote-
phis. li. lis sententiã, ex ipsa generatione mõ-
2. cap. 8 stra: dicantur naturæ peccata, quid
mirum si per ea opera, quæ naturæ pec
cata dicuntur, eoquòd in eorum pro
creatione à naturali cursu quodammo
do aberratum sit, ea quasi digito, mõ-
strãtur opera, quæ in rebus spirituali-
bus reuera monstra sunt, nempe crï-
mina contra spiritualis generationis
vsum, & naturam procreata? Quis e-
nim ignoret cœlum, terram, montes,
maria, & omnia quę eorũ ambitu cõ-
tinentur admoneri, & quodãmodo co
gi ad benedictionem & laudem præ-
standam Deo viuenti? Monstra itaq;
peccatoribus sua monstrâsse crimina,
& vlciscendis eorum criminibus pa-

rata flagella, imò paratiſsima, exemplis multis nunc ſuper eſt cõfirmare.

De monſtro quod Conſtantini temporibus accidit & miſeriis Sæculi illius.



CONſtantini tẽporibus apud Daphnẽ (Amiano Marcellino teſte) amœnum & ambitioſum Antiochiæ ſuburbanum natum fuiſſe mõſtrum, ſcitu facillimum eſt: infantẽ ſcilicet, ore gemino, & dẽtibus binis & barba, quatuorque oculis, & breuiſsimis duabus auriculis. Cuius quidem mõ-

ſtri ſignificationem ſi quæramus, ipſe Marcellinus, quid hominibus ſui tẽporis viſũ fuerit, teſtabitur. Ait enim. Is partus ita diſtort⁹, præmonebat Rẽpub. in ſtatum verti deformem. Naſcuntur huiuſmodi ſæpè portenta, rerum variarum euentus indicãtia, quæ quoniam non expiantur, vt apud veteres, publicè, inaudita prætereunt, & incognita. Hæc Marcellinus ſub finẽ lib. 19. Quòd ſi quàm deforme fuerit ſeculum huic portentoſæ natiuitati ſuccedẽs quæſierimus, omnes vno ore hiſtoriæ teſtabũtur, quàm miſera, quãque multis lachrimis deplorãda, Chriſti Eccleſiam, ſæuientibus perditorũ inſultibus, perculerint mala, omnigenis dolis, ſeditionibus, ac perturbationibus plena. Cõſtantinus iunior fràtrem temerè aggreditur, idémque temeritatis ſuæ pœnas luens miſerè occiditur. Conſtantem apud Helenam oppidum occidit Magnetius, ſi fas eſt

Ammi. Marcel. rerum geſtarũ lib. 19.

credere Eutropio, Victori & Eusebio, primariæ notæ historicis. His succeſsit Constantius miser: qui, quanquam ingenio excellenti præditus esset, nihilominus tamē lenonum, eunuchorum, & peſsimorum istiusmodi sycophantarum vafris delibutus, consiliis, sororis maximè geminæ, Arrianismi gyris atque inuolucris illaqueat⁹ recepto apud se Sacerdote Arriano, à vera desciuit pietate: & qui imperii dignitatem aſſequutus erat, vt Christi legem, & Ecclesiam ab hæreticorũ iniuriis vindicaret, & vindicatam defēderet, confestim viri indutus speciem teterrimi, suo ministerio, suáque culpa magis ac magis graſſatur Arriana impietas, disputationibus, quærelis, omni denique seditionũ genere, paruo temporis momēto, omnes prouinciæ complentur. Quorum omnium luculentiſsima testimonia præbēt Sozomemus, Rufinus, Theodoretus, &

Sozom. lib. 2 cap. 5. Ruf. lib 1. cap. 15 Theodo lib. 6 cap. 3

Socr. lib 2. cap. 2 Socrates. Hinc quoque manârunt tragica illa facinora, depicta luculentiſsimè ab Athanaſio in Apologeti. & Victore Vticẽſi, in Vuandaleæ perſecutionis hiſtotia. Hinc illæ Athanaſii perſecutiones: hinc illa Macedonij immanitas, quæ in omnes ferè Orientis orthodoxos ſæuiit miſerè: hinc tot cædes, tot incendia, ſtupra, & omne criminum genus, quod annis ferè trecẽtis longè latéque dilatatũ eſt, vt Sozomeno & Socrate atteſtantibus. Vide (Christiane) quantam poſt ſe trahat Regum & Principum error ſtragem, quantámque ruinam: quorũ adinſtar & ſimilitudinem totus ut vulgò dici ſolet, componitur orbis. Vt enim ſaluo capite & corde, de totius corporis vita deſperatur nũquã: ſic Regibus & Principibus pro ſua integritate ſarta tectàque tuenda, fixo pede dimicantibus piéq; & ſancte viuentibus, nunquã de populorũ in melio-

Sozom. lib. 4. cap. 3. 27.

Victor vtice. de bello vuandalico lib. 1. & 2.

rem & frugem conuersione dubitatur Et quidem admiratione dignum est summa, quòd nunquam constat defuisse diuinæ bonitatis clemētiā. Nec minùs miranda profectó est miserorũ peruersitas: qui & prædicatione publica admoniti, testimoniisque scripturæ sacræ, signisq; extremis ac visibilibus portentis, omnibus quibus oporteat modis, vixtum coacti sunt exclamare, dedisti metuentibus te significationē, vt fugiant à facie arcus. Miseriarum plena erant tanto prodigio monstrata secula: fateor. Tunc enim (vt cum Hilario loquar) sacerdotes timuere Deum vinculis cogebantur, ijdémq; carceribus continebantur: plebs pia, in custodiam cathenati ordinis constructa. disponebatur: nudabantur virgines ad pœnam: sacrata Deo corpora publico exposita conspectui, ad fructum spectaculi & quæstionis aprabantur: hæc (inquam) grauissima

Psal. 59

Hilari. ad Const. August.

fuiſſe & largo lachrymarum flumine irriganda, quis inficiabitur? Cuius nō mouiſſent præcordia Epiſcoporum ſenum miſera exilia, inter quos præcipuus erat Veteranus ille Chriſti miles Valerianus Abēſis Epiſcopus? Qui cùm eſſet annorum 80, in ſtrata publica, multo tempore nudo iacuit ſub aëre, ait Vticenſis. Dolendum erat, profecto pii Gamuth ſpectaculū: quē cum aduerſarius occidere non potuiſſet, tamen in latrinarum, locū obſcœniſsimum cōiecit, tēporéque multo eum ibi degere ſtatuit, ait Victor Vticenſis. Et quæ, quæſo, præcordia, quantumuis adamantina infinita ſimilia ſpectacula nō mouiſſent ad cōpaſsionem? At illis temporibus nō parum luminis piorum afferebat immobilis conſtantia. Superbiēte enim impio incēdebatur pauper, vt comprehenderētur impii in præmeditatis cōſiliis. Nemo enim tūc piorum aperto

Victor Vticen. de perſe. vuandal

ore non clamitabat, cum Hilario, Catholicus ſum, nolo eſſe hęretic⁹. Christianus ſum, non Arrianus. Et melius eſt mihi in hoc ſeculo mori, quàm alicuius priuati potentia dominante, castam veritatis virginitatem corrumpere. Quod ſi aliquando ſuarum miſeriarum repetenda erat origo, omnes vno ore, peccatis vrgentibus, tot calamitates eueniſſe fatebantur. Eo enim putauit (nec iniuria) Vticēſis ab Vuandalis vaſtatam fuiſſe Romam. Vtinam tanta ineſſet hominibus noſtri temporis firmitas, quantā in multis illis temporibus fuiſſe, paſsim memorant auitæ piorū Patrum hiſtorię. Quid enim aliud præter extremū algorem videmus? frigefacta eſt multorū charitas: vix vnus inueniri poteſt, quē proximi miſeriarū miſereat. vix vn⁹ aut alter eſt, qui obolo, aut minutula quauis pecunia proximi animā redimat. Vt parum ſumus memores, Hil. ad Conſt. Auguſtum.

1.Corin. 12. doctrinæ Apostolicæ clamantis. Si cō patitur vnum membrum, compatiuntur cætera membra. Tantam ideo fuisse liquet, sub Arria. ꝑsecutione patrū multorum stabilitatem, tantam fidei synceritatem, tantumque vnitatis catholicæ robur eorū inhæsisse mētibus nemo negare potest, nec tamen Dominū pepercisse eorum patriæ negotii monstrat exitus. Quod si in viridi id effectum est, in arido quid fiet? Si enim eos rudıter adeo castigatos fuisse legimus, eos inquam, quorum patribus primitiæ sacratissimi illius spirit⁹ donatæ fuerant, quid nobis futurum censemus, quos extremi huius temporis feces & corruptelæ deturpant: in quibus nullum non criminum gen⁹ viget: quos omnis impietas ad extremam adigit miseriam? Nimium præceps est (ait Cyprianus) qui transire contendit, vbi alium cecidisse videt. Hæc de portēti quod Cōstantini tē-

Cypria. de singul. clericorum

poribus accidit, comminationibus, ne significationes dicam, sufficiant.

ORATIO.

VT quid Domine recessisti procul à nobis, cōmota est indignatio tua super nos oues pascuæ tuæ. Memento familiæ tuæ catholicæ, quàm ab initio possedisti. Quiescat, quæsumus Domine, ira tua, ne in uiis iniquitatum nostrarum pereamus. Peccauimus enim ab vtero materno, in iniquitatibus concepti, non audiuimus te: neque obedientiam præstitimus Prophetis tuis, quos dedisti patribus, regibus, ac principibus nostris. Tibi ideò laus & gloria: nobis autem confusio faciei, opprobrium & ignominia. Da ideò vt renatis semel fonte baptismatis nunquam desit spiritus ille principalis, quo delictorum omnium, hæresum ac impietatum monstra superentur, confirmās pectora spiritus, inquam, ille tuus bonus, qui nos in viam rectitudinis perpetuò deducat, qui regat, foueat, tueatur atque defendat ab exterminatoris gladio, tibi semel consecrata hospitia, hæc viua Dei templa, quorum ostia toties tua benignissima pulsata clementia ab omni criminū turba occlusa tibi, qui faciem semper habuisti in Hierusalem illam, quæ desursum est mater nostra, eūtis, aperta adinuenias, & ingressus perpetuam mansionē illîc constituas Non maneat apud nos Arrianorum spiritus pestilens, nec Caluinistarū

aura temporis serenitatẽ corrumpens, sed perpetuæ gratiæ, bonitatis, misericordiæ, ac pacis tuæ (quam mundus dare non potest) radiis illustrati, tibi seruire, te amare, ac te cum beatorum omnium spiritibus, perpetuo laudare valeamus. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

De Monstro quod Valentiniani accidit temporibus, ac miseris successibus.



Niceph. Calixt⁹. lib. 12. cap. 37. 38.

ACcedo ad alterius mõstri apparitionem, cuius plenissimam fecit memoriam Nicephorus Calixtus. Taceo quæ ante Valentiniani obitum de stella, quæ prodigiosè lucebat mediæ noctis tempore, ac de inopina-

to Nili incremento, quo Gentilium multos ad Christi fidem conuersos testatur. In eo duntaxat exemplo conquiesco, in idque totus incũbo, quo ait, duo hominum corpora visa fuisse alterũ quidem in Syria, supra naturã humanam magnitudine excedẽs: alterũ verò in Aegypto infra incredibilem naturæ breuitatem consistẽs. Syrus enim (ait Nicephorus) in longitudinem cubitorum quinque & vnius palmi excreuerat, quãuis pedes eius reliquæ corporis magnitudini proportioni nõ respõderẽt. Introrsum enim intorti erant & vari. Hæc mirabãtur multi fortè, mirabãtur (inquã) multi, & conuertebantur pauci. Nicephorum intereà scripsisse cõstat, prodigia huiusmodi futuras orbis calamitates portendisse: ea enim proportionum cõtrarietate seu antithesi, fortè præmonstrabatur non defuturum hominem, qui paruo natus loco, infimæ

Niceph. lib. 12. cap. 38.

quantumuis ſortis, in caput & vitam magni imperatoris Valentiniani con ſpiraret. Quod ut quondam feciſſe A-brogaſtem copiarum militarium præ fectum & adminiſtratorem legimus. Verũ ne quis putet gratis illatum ſi-bi fuiſſe negotium, & Deum dormire

Homo in menſas & Apollinem hymno.

eumque latere Regum ac Principum crimina, vtq́ue exploratum & certũ videam⁹ illud Homericum, ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες hoc eſt, ex Ioue reges. Nõ enim aliunde Regum ac Principum coronæ & ſceptra, niſi ab eo, per quem dũ taxat Reges regnant, per quem prin-

Prouer. 8.

cipes imperant, & legum conditores iura decernunt: nunc ſupereſt viden dum, qui fuerint mores, & quæ in Va lentiniano tantæ calamitatis funda-menta.

Is Zonara & Theodoreto teſtibus, iuuenis & impubes ad imperij digni-tatem euectus eſt, ac perfidis Iuſtinæ matris artibus ſubornatus, Arrianæ fa

uit impietati. Ea enim tenera adhuc ætate, ac húc & illûc flexibili, ei venenum hæreticum propinauit. Is interea (ait Theodoretus) ratus obsequium matri pollicitum vtilitate non carere, inescatus, naturæ respectu, lætiferum non cernebat hamũ. En quã vtile est, tenella sub ætate generosis imbui moribus, quàmque contrà dãnosum tenelli corporis vacuitatẽ corrupto imbuere aëre, & primi Iuuenis tabulam propè rasam, fœdissimis picturis dedecorare. Hæc enim (vt Valentiniano contigisse proditum est,) in immensum paruo tempotis curriculo crescunt, & augentur.

Nam mala radices altius arbor agit.

Adde præterea quãta cum difficultate quæ semel aliquid virium in nobis sumpsêre vitia, euellantur & eradicentur: Nam vt egregiè ait Poëta.

Quæ præbet lætas arbor spatiantibus vmbras, *Ouidius lib. 1. de remedio*
Quo posita est primo tempere virga fuit.
Tunc poterat manibus summa tellure reuelli:

Nunc stat in immensum viribus aucta suis

Hoc autem expertum fuisse Valētinianū, nemo est qui ex historiis non videat. Et quid enim piarum admonitionum non omnino spreuit, abiecitque? Quem non ad partes Arrianorum conatus est deducere? Nonne ipsissimum Diuum Ambrosium ad sese pertrahere contendit enixissime? At longè aliter se gerebat sacratissimus præsul: illi paternam pietatem in memoriam reuocabat: hortabaturque, ut hæreditatem relictam conseruaret integram: exponebat ei præterea dogmatum diuersitatem, innuens hæc cō gruere cum doctrina Catholica, illa verò prorsus cōtraria & spirituali sanctioni fuisse aduersa. Verùm spinosus ille Valētiniani animus, Arriano furore semel imbutus, nedum piissima præsulis monita spreuit, sed miseré in eum excandescens, copiis stipatus militaribus, templum illius sacratissimū occupare

Ambrosius oratione ad Auxenti.

Theodo histor. Eccles. lib. 8. cap. 13. 14. & 15

occupare conatus eſt, id reuera perfecturus, niſi populi Chriſtianiſsimi inexpugnabilis pietas obſtitiſſet. Hic enim Ambroſius firmiſsimo pectore clamabat, ſponte templum non ſum relicturus, neque proditurus lupis ſtabulum ouicularum mearum, nec tradam templũ blaſphematorib⁹ numinis. Verùm ſi me occidere decretũ tibi eſt, hîc intus enſẽ haſtámue in me defigito. Hæc feciſſe iuuenem Valẽtinianum ingenio & corpore perpuſillũ (vt ad monſtrũ & prodigiũ illius tẽporibus natũ alludamus) in quem Gigas ambitione, & proteruia maximus, nomine & re, contẽptæ pietatis ſpecie inſurrexit, internecionẽ minitans paternæ pietatis proditori, cõſtat. Quod dubio procul ſeriò moliri decreuerat, atq; adeò exequi, niſi Theodoſij pietas, qui primam mentem Valentiniani fuerat medicatus, morbũq; impietatis contractum repulerat, ſeſe

maxime furori opposuisset. Vtinā multos illi similes & Imperatores, & Reges, & Principes habuisset Christiana Respublica, tot tantisque multorū iniuria obiecta periculis. Ille sola Amphilochij piissima demōstratione, miseram illam conscientiarum libertatē, quæ diu multumq́ue durârat, edicto abrogauit publico, abrogatamq́ue semel nunquam in lucē reuocauit. Perque tota vita sua pacatum imperium habere meruit, aut saltē, si qua superfuêre bella, mirabilibus donari victoriarum triumphis. Diligant itaque, sapientiam, ait Salomon, qui delectantur sedibus & sceptris, vt eorum imperia & regna perpetua esse mereantur: & Valētiniani, quondam vita functi miserrima, plusquam miseram mortē intelligentes (is enim siue propriis, vt vult Zonaras, siue Abrogastis manibus est strangulatus, vt vult Nicephorus) discant sibi sapere, & pieta-

Theod. hist. Eclesiast. lib. 5. cap. 16.

Sapiē. 6

Niceph. lib. 12. caq. 38.

tis,totiúsque virtutis amplexu tantum periculum subire. Mala enim mors putanda non est,quam bona vita pręcesserit,ait Augustinus. Quorsum ergò putabimus Valentiniani temporibus monstra illa duo apparuisse, vnum maximum statura, pedibusque varis, alterum perexiguum, nisi vt cõstaret Imperatorem eundem quantũuis magnæ authoritatis & potentiæ, quia variis pedib⁹ambulabat(inter religionum enim diuersitates medius sẽper stetit, ait Marcellinus, nec quenquam coëgit hoc,vel illud colere:nec interdictis minacibus subditorũ cernicem,ad id,quod ipse aluit, inclinauit,sed intemeratas reliquit has partes vt reperit)in proximũ exiguũ fore miserũ?Hæc reuera merces omniũambas in partes claudicãtium, maximè principũ, quorũ interest deprauata& propè perdita,in meli⁹ sẽper,&in integrũ restituere. Sati⁹ enim esset in imo

Zonæ Annal. tomo. 3.
August. de Ciuit lib. I cap. II.
Amia. Marcel. lib. 30.

iacere, & bubulci duntaxat ruditate donari, quàm cathedra Regali nobilitari, & inutilẽ esse. Nullus, arbitror, nescit Achabo dictum fuisse, omniq; cum illo principi, custodi virum istũ, ꝙ si lapsus fuerit, erit anima tua pro
3 Regũ 18 & 20 anima illius, et sanguis populi tui pro sanguine populi illius. Notatu dignissimum est, quòd in tanta simulatione Valentiniano constituto, cœpit Pria-
Fascicu lus temporum. mus Marcomiri pater mouere bellũ contra Romanos: cuius filius Marcomirus visus est Galliæ monarchiã instituere, vt instante Græcorum & Africanorum ruina, Chtistus sibi aliud habitaculũ inter nos cõstitueret, dubium profectò an Gallis iisdem infirmitatibus tactis, quæ fuêre Græcarũ miseriarum fundamenta, idipsum infligatur castigationis genus. Ergò timuisse Valẽtinianum oportebat mõstrorum apparitionibus cõmonitum. Sic enim solent pii filii paternorum

oculorum toruitatem, pedum trepidationem, & omnia furoris ſigna pertimeſcere, & à prauitate ad ſynceram puritatem & vitæ melioris commutationem conuerti. At quia non habuit ſapientiã, ideo iure periit propter ſuã inſipiẽtiam. Vt in poſterum non glorietur fortis in ſua fortitudine, aut potens in ſua potentia, aut diues in ſuis diuitiis: ſed eò ſpectet duntaxat tota hominũ gloriatio, vt verè ſciatur De⁹, & agnoſcatur. Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram, ſeruite domino cum timore, & exultate ei cum tremore, apprehendite diſciplinam, nequando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta, cum exarſerit in breui ira eius.

Baruh. 3.

Hiere. 9

Pſal. 2.

ORATIO.

DEus regnorum author ac protector, Regũ corda formãs ac gubernans, Deus qui Valentiniano erranti, miſericordiæ tuæ latiſſima ſigna præbuiſti, vt quem Imperatoria authoritate donâras, gloria tua, vita anteacta in meliorem

immutatione, incomparabili thesauro immortalitatis ditares, da principibus nostris tantũ in tuo amore ardorem, vt fidei vinculo sociati, spe educati, & in charitate firmati, nullis hæresum impietatũq; turbinib9 agitati, a te separari aut seiũgi poßint. Extingue præterea Ecclesiæ tuæ tot tantásque persecutiones, coniunge in vnũ omnia omnium corda, vt eam, quam vno Christiano nomine omnes Christianam profitẽtur veritatem, fide, moribus, & vita perpetuò teneamus, Per eũ, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & seculum per ignem. Amen.

De monstris, quæ Hieronymi, Augustini & Pauli Diaconi, tẽporibus apparuerũt, & miseriis, quæ succeßêre.



EOdem ferè ſeculo, Auguſtini ſcilicet tẽporibus, traditur apparuiſſe monſtrum, maximam rerum polyticarum confuſionem præmonſtrans. Auguſtini verba vt audiamus, expedit. Ante annos aliquot, ait, noſtra certe memoria, in Oriente duplex homo natus ſuperioribus membris, inferioribus ſimplex. Paulus Diaconus teſtatur, poſt obitum Theodoſii, natum fuiſſe perfectum puerum ab umbilico & ſurſum diuiſum: ita vt haberet duo capita, & duo pectora, & duos ſenſus, altero capitum comedente, alterum non edebat, vnoq́ue vigilante, alterum dormiebat, interdum ſimul dormiebãt, quãdoq; inuicẽ ſeſe percutiebãt, ſimul autẽ flebãt. Eiuſdẽ ferè ſpeciei eodẽ tẽpore apparuiſſe aliud Liddæ, teſtis eſt Hieronym⁹ ſic ſcribẽs. Noſtra ætate duplex Liddæ natus eſt homo, 2 capitũ, 4 manuũ, vno vẽtre, & 2, pedib⁹. horũ uerò portẽtorũ ſignifi-

Auguſ. de Ciui. lib. 16. cap. 8.

Paulus Diacon⁹ lib. 13. de Imp. Theodo.

Hiero. Vitali.

quis melius, quàm rerum ipſarum e-uētus, docere poteſt? Varia enim in vno & eodē corpore capita, quid aliud præfigurârunt, præter Imperiorum, & rerum fermè omnium confuſionem? Aut quid mutuus ille conflictus, ex Paulo Diacono, communeſque eiulatus & lachrymæ, præter mutuas illas diſceptationes, in rebus eccleſiaſticis ſchiſmata, & in politicis omne diſſidiorũ ſeminarium? Circa hæc eadē tēpora eruperunt Donatiſtarũ hæreſes & Pelagian. vt interea ſilētio obruā ſciſmata numero infinita, infinitas, ac propè humanũ captũ ſuperātes cōtrouerſias, quæ inter priuatos interceſsêre homines. Vt de illo Ioāne Hierosolymitano & Epipha. legimus, ac multis aliis, quos enumerare longũ, & fortè legere ꝑmoleſtũ eſſet. Diſsidiis huiuſmodi, poſſēt addi terræ motꝰ maximi, de quibꝰ multa Sozomenꝰ lib, 8. cap, 27. Sigebertꝰ ſub an. Domi.

Sox. lib. 8. cap. 27

409. Pau. Dia. lib.14. de gestis Rom. & Theodo. lib.5. cap.14, & iterũ Pau. Diaco. lib.14. Accedam duntaxat ad maximas illas perturbationes & rerũ politicarum confusiones, quæ iisdem, quibus monstra isthæc visa sunt in auras emergere, interuenêre seculis.

Sigebertus.
Paulus Diaco. lib.14. de gest. Rom.
Theo. lib.5 ca. 14.
P. Dia. lib. 14.

Audire licet Gotthos, Vuandalos, & Hunnos, passim regiones depopulatos esse, ac penitus solo adæquâsse, iisdemque temporibus tot oborta iurgia, vt Rom. imperiũ vehemẽter debilitatũ & lãguescens, nullam pristinę authoritatis recuperãdæ spem haberet reliquam. Simul autem imperio præfuisse Arcadium aliquandiu, & Honorium: hũc in Oriente, illũ vero in Occidẽte: posteà Honorius solus sceptra tenuit. Mansuetudine vero vtriusque imperatoris non pauci nobiles moti, per fas nefasque ad fastigiũ imperij deturbatis illis pacificis, ac ignauis imperatorib⁹, sic enim eos vocabãt

nequissimi & turbulenti homines)
non modo aspirârant, sed etiam sese
peruenire posse sperârant. Hinc est
Exemplũ nostro tẽpo redignũ quòd Rufinus in Oriente gubernator & præfectus, authoritate certè &
potentia (vt multos fuisse nostris tẽporibus nôrũt omnes) longè suis meritis impari, Allaricum Gotthorũ Regem, quibus potest verborũ lenociniis
ad capienda aduersus Arcadium arma excitat, vt vidimus multos iisdẽ
innixos machinamẽtis, & Reginæ clementia, & tenella Regis, ac fratrũ suorum ætate proteruiter abusos, & Germanos & Anglos, & omne belluarũ
genus ad Galliam deprædandam, &
dilapidandam vndiq; inuitâsse) sperans, eiecto Arcadio, se fore pacificum
Imperatorẽ. Sic enim qui ambitione
Nicep. lib. 13 cap. 1 & cupiditate regnãdi ducũtur, plura
sibi, suisque pollicẽtur, quàm præstare possint. Verũ ab Italicis militib⁹ interfect⁹, dignum suo labore stipiẽdiũ

est assequutus.

Eadẽ ferè in Africa Gildo comes nõ intẽtata reliquit, parũ sibi ab Imperatoribus feriatis, & quiete gaudẽtibus metuẽs. Sic nihil est, quod maiorẽ ansã gregem inuadẽdi lupo præbeat, ipso aut canũ somno, aut pastorum otio. Eodẽ tempore Hunni Thraciam vastabant, Hisaurięq́; latrones, magno numero, multas ciuitates affligebant, nẽpe circa 402 annum, quorum fere omniũ testis est Sozomenus lib. 8. cap. 25. Soz. lib. 8 cap. 25

Eodem tempore Stilico Vuandalus imperij cupiditate ductus effecit, vt Gotthis stipendia denegarentur: quos cùm iam priùs extimulati essent à Rufino, non dubitabat contra imperium arma sumpturos. Hæc omnia cõsequutæ sunt flagitiosissimæ direptiones Rhagaisi Scythæ, ducentorum milliũ Gotthorũ ducis: quorum auxiliaribus manibus Thraciam, Illyricum, Noricum, & loca Italiæ adiacentia, omni

cladium genere crudeliter cumulâ-runt, deteriora multo præſtituri ſuæ immanitatis ſpectacula, niſi intolerabilis fames eos fugæ præcipites dediſſet,

Eadem ætate Allaricus Vueſt Gotthorum Rex, relicta Conſtantinopoli, Galliam aggreditur: & paulò pòſt Romam obſidet: ac poſt bięnium (vt quidam volunt) occupat, non ſine magna & luctuoſa ruina.

Ecce quot quantaſq́ue ruinas confuſa illa monſtrorum corpora præſagiſſe potuerint. Cæterum Hiſpaniam & Galliā ab imperio auulſas idemq́; tētâſſe Britaniam, Gratiano quodam in Regem creato, ex Oroſio colligi poteſt. Quot nanque nationes erant, tot exorta fuiſſe capita certum eſt. Diuiſionum ac ſeditionum plena videbantur omnia. Imperia paſsim contē nebātur: leges vndique proſtratæ iacebant: vi & non rationib⁹ de æquo

& iusto,(vt nostris temporibus fieri so let) dirimebantur lites. At ne in tantam dominationes supremæ inciderent calamitatem, decebat Imperatores pietate & laboribus asiduis sese aduersus tot mala præmunire, piorũ Regum historias scrutari, eorumq́ue piè facta diligenter & amabiliter amplecti ac imitari, diuinaq́ue siue Prophetarum oracula, siue monstrorum apparitiones nõ oscitanter aspernari. Inuisibilia enim illius Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciũtur, sempiterna quoque eius virtus & diuinitas, ita (ait Apostolus) vt sint inexcusabiles. Rom. 1

Non poterant olim Romani infideles monstra & prodigia cõtemplari publica sine expiatione: adeò certam eorum putabant significationẽ. Et nos illis deteriores erimus, quibus vix scintilla vna cognitionis diuini numinis data fuit. Discam⁹ ergò rerũ

præteritarum exemplis commonefacti, timere diuinam vltionem, ne fortè ad nos pertineat illud Prophetæ. Bos cognouit possessorē suum, & Asinus præsepe Domini sui: Israël autem nō cognouit tempus visitationis suę. Timeant ergò dominū quotquot doctrinæ catholicæ luce perfruūtur, atque ardentibus votis, & crebris gemitibus, diuinam implorēt clementiam, ne veteres illę miserię, rursum nostris vlciscendis criminibus ingrauescant, ne-ue simus opprobrium vicinis nostris profanis, Sarracenis, impiis Iudęis perfidisque Caluinistarum & hæreticorum omnium cœtib⁹, quorum miseranda rabie in dies miserè, magis ac magis dilaceratur & discerpitur Gallia.

ORATIO.

DOMINE Iesu, qui nunquam tuis dees, sed semper auxiliator benignus & protector eos aspicis: qui hoc seculum tanta monstrorum multitudine deforme, piorum, ac doctissimorum patrum copia, vt à cœpta semel via ma-

la discederet, adhortari dignatus es: Deus qui nõ vis mortem peccatorum, nec lætaris in perditione morientium, respicere dignare super hanc Ecclesiæ Gallicanæ familiam, toto tibi corde deuotam, tanta alioqui in tribulatione constitutam: da ei fidem inconcussam, spem rectam, ardentémque charitatem, vt quamplurimis ventorum occursionibus & periculis quantumuis quaßata & turbata, credenda semper credat firmiter, speranda spectet humiliter, ac diligenda amet synceriter: & vt tādē his tribus virtutum ornata floribus, quæ tres solum immotæ & viuidæ, adeò firmiter & inconcußè permaneāt, vt nullis inferorū præstigiis à te vnquam abduci poßit. Vide Domine afflictionem populi. Ecce quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus. Domus tuæ regalia ædificia deserta effecta sunt, altaria tua destructa sunt, Sacerdotum alij occisi, alij etiamnum gementes luctu & mœrore contabescunt: Sācta tua canibus miserè oblata. Respice de cœlo, & vide quāta malignatus est inimicus in sancto. Signa nostra non vidimus, iam nō est propheta, nos non cognoscet vllus ampliùs: comederūt enim Iacob, & locum eius desolauerunt. Da ergò populo tuo miserabiliter afflictato, tua in syncaritate constantiam: vt nullis superuenientibus miseriis à tua charitate seiūgatur, in qua, & per quam tibi coniunctus nunquam excidat, sed tecum & per te, viuat in secula seculorum. Amen.

De monstris, quæ Mauricii temporibus ortum habuerunt, & miseris successibus.



MAuricii tẽporibus, qui imperauit circa 578 annum à Christo, apparuisse mõstra atque portẽta multi testantur historici, præcipue Zonaras. Cuius de Imperio Mauricii, rebusque ab eo gestis loquẽtis hæc sũt verba. Eo tẽpore & Sol defecit, mulierque in Thracia puerũ peperit sine manibus & brachiis, cauda piscina vsque ad coxendices sursum porrecta. Canis quoque sex pedes habens,

Zonar. tomo 3. Annalium.

& caput leoninum, nat⁹ ac valde magnus factus est. Cedrenus testatur eo tempore cùm in Aegypto Mœnas pręfectus in Nilo fluuio cum populo iter faceret, in loco qui Delta dicitur, oriente Sole, in flumine visa fuisse animalia specie hominis, maris & fœminæ. Mas (ait) erat bene compositus, pectore amplo, aspectúque terribili, fuluo crine, intermixtis canis vsque ad lumbos, nudas cæteras partes aqua tegente. Hunc præfectus adiurauit, ne priùs ex conspectu discederet quàm omnes raro sese exaturâssent spectaculo. Mulier & mammas habebat, lenem faciem, & dimissos crines. Vsque ad horam diei nonam populus cũ admiratione animalia ea spectauit, quæ hora nona amnem subierunt. Cedren

His omnibus addit fasiculus temporum puerum natum fuisse quadrupedem alterum, & alterum duos vertices habentem, Quę omnià (ait) ali- Fasicul⁹ tempo.

quid noui ſolent ſignificare. Quidam putârunt his omnibus præmõſtratum fuiſſe Machumetis portẽtoſum atque miſerrimum aduentum, qui ſub Mauricij imperio cœpit ſuis vti artibus, terræ marique improbè dominari. Hoc enim mõſtra terrena & fluuialia prę-ſignabant. Huius ideo miſerrimi, filii perditionis præcurſoris, tãta fuit impietas, vt, quò faciliùs poſſet omnes religionũ omnium homines ad ſe trahere, diuellicatis vndique doctrinis impiiſsimum Alcoranum edidiſſe cõſtet.

Cælius Auguſ. curio hiſto. Sarraceno. lib. 2. Paulus Æmili9 lib. 2. Supplementum Chroni. lib. 2

Hoc enim monſtrum, humano corpore & cauda piſcina, protendiſſe notum eſt. Quadrupedis autem hominis ſignificatione, & canis leonina facie partu futurus ille miſer prænunciabatur canis, religione, vel, vt veriùs dicam, rabie & mordacitate, Leo tyramnide, proteruia & ferocitate terram totus ſpirans, terrenis

Faſciculus tem.

magiſtratibus fere omnibus ruinam minitans.

Quis enim neſcit eum annis vix 150, magnæ Aſiæ partem deuaſtaſſe, nec Africæ peperciſſe? Et quis Caroli Martelli temporibus neſcit Pyrenæos inſultaſse? Cepiſſe Narbonā ciuitatem, Toloſamq́; Gotthicę Galliæ regiam ſedem obſediſſe, rapuiſſe Burdegalam, & omnes ad vnum in ea, etiam mulieres, cum paruis infantibus interemiſſe. Sacratiſsima Dei templa ſolo adæquaſſe. Tātæ impietatis participes fuere, Petragoreorum & Sanctonum fines. Efferæ illius Sarracene nationis ferociā ſunt expertæ, egregiæ vrbes, præcipuę Angoliſmum, & Blæſium, quas miſeré euerterunt.

Pictonibus & Turonibus haud parcentes, Diuini Martini templum, donariis opulentiſsimum, manu ſacrilega ſpoliarunt.

hæreticorum noſtri temporis verisſi-
mi effecti præcurſores. Quæ enim tũc
temporis regio ferro & igne non pre-
mebatur? maximè verò quæ Gallia-
rum pars eſſe poterat non miſeriis &
calamitatibus preſſa? Carolo Martel-
lo bellum erat & cum Eudone Vui-
ſigottho, Aquitaniæ duce, & cum bar
bara hac Sarracenorum natione mi
ſera, qui miſerrimam profectò ſubitu-
rus fuerat cladem, niſi inito cum V-
uiſigotthorum duce fœdere, ſeſe Sar-
racenorum exercitui, qui iam Turo-
num fines immiſericorditer depopu-
labatur, manu forti, infractóque ani-
mo oppoſuiſſet. Tunc armata erat ſe-
cum omnis Gallica nobilitas, tũc om
nib⁹ egregiè innotuit nationib⁹ quã
ta ſit Francorũ pro tuendis laribus &
focis animi cõſtantia, quàmque eorũ
robur inſuperabile. Sarracenorum e-
nim infinitã propè multitudinem ag-
greſsi, trecẽtis ſeptuagĩ. quinq; millib⁹

cæſis alios prælio fuderunt, ex Franciſ vix mille quingentis deſideratis, maiorem profectò reportaturi victoriam, niſi nox ſuperueniens bello finem impoſuiſſet.

Diſcat hinc Gallia noſtra, quanta ſit Dei bonitas, quanta fortitudo, quãta potentia: qui nedum pium & Catholicum Regem in canes iſtos miſeros, ſed & ipſiſsimos Arrianos, quibus præerat Eudo ſupra-dictus Vuiſigotthorum dux excitauit. Quis enim neſcit diuina virtute Satanam in Satanã armari, Deúmque vindictam ſumere de inimicis per inimicos ſuos? Sic monumẽtis hiſtoricis proditũ eſt, anno 1567. profligatos fuiſſe Antuerpiæ Caluiniſtas Catholicorũ operâ, quib⁹ ſe iũxêre Auguſtani, quos vulg⁹ Lutheranos ſeu Martiniſtas vocat, ſati⁹ ducentes Catholicorum pietatẽ tueri & defẽdere, quàm miſerorũ Caluiniſtarũ proteruiã pati. Idipſũ & nos ſin-

Inſurgũ Antuer. Lutherani in Calniniſtas.

gulis experimur diebus, Augustanarum legionum fidissimis (si qua fides in bello censenda est) adiuti auxiliis, quorum animi constantiam & magnitudinem vtinam multæ bellorũ copiæ imitarentur, fide & moribus abiectis.

Circa Mauricii tempora Anthiochia subuertitur per Angelum Dei, qui stola candida vestitus apparuit, vno vix homine vt volunt quidã, qui tũc precibus & eleemosynis vacabat, saluo. Inundatio pluuiarum tanta fuit, vt à multis crederetur alterũ venisse diluuium: tum per Tyberim fluuium multitudo serpentũ, cum Dracone magno, in mare descendit, sed à fluctib⁹ præfocati, & ad littus proiecti totum fere aërem sua putredine corruperunt: vnde, signatam fuisse eam, quæ apud Italos Inguinaria dicitur, mortalitatem multi putârunt.

Fasci. tempo.

Ergò omnibus fere nationibus in

ſua impia ſeueritate iacentibus, grauiſsimæ & inſperatæ ſuperueniunt ærumnæ. Diſcamus & nos eorum periculo & ſumptibus, tanta ſæpiùs admoniti pædagogia. Diſcant reges regis iſtius pectoris firmitatem, & animi robur, imitentur nobiles nobilium Francorum pietatem, & pro aris & focis nunquam dedignentur operoſos labores, cruentos bellorum impetus, denique mortem ipſiſsimam, ea qua opus erit animi magnitudine ſuſtinere.

Liberatos fuiſſe diuinitùs é Sarracenorum faucibus Francos, abactamque paulatim Vuiſigotthorum impietatem, ipſiſsima docuit experientia, Deo Patrum piorum temporis illius pietati ſectabili, mirabiliter fauente. Cuius nobis diuina perpetuo gratia & bonitas auxilio, noſtriſque eſſe dignetur.

Et cui obſcurum eſſe poſsit, tunc flo-
Heb. 13 ruiſſe Amandum, Græ gorium Turo-
ronenſem, Eucherium, multóſque a-
lios viros clariſsimos? Mementote i-
deo præpoſitorum veſtrorum, qui vo-
bis loquuti ſunt verbum Dei, quorũ
intuentes exitum, imitamini & fidem.
Timete Dominum omnes ſancti ei⁹,
quoniam non eſt inopia timentibus
eum. Diuites eguerunt & eſurierũt:
timentes autem Dominum non mi-
Pſal. 33. 36. nuentur omni bono. Eam enim ex-
pertus ſępiùs Pſaltes diuinæ bonitatis
clementiam clamat, nec iniuria pro-
fecto, iunior fui, etenim ſenui, & nõ
vidi iuſtum derelictum, nec ſemen e-
Cigas in floribus tempo. P. Dia. rerum Rom. lib 23. ius quærens panem. Notatu digniſsi
mũ eſt quod magis ac magis condẽ-
ſatis Machumetanæ impietatis tene-
bris, quibus ſplendidiſsimum Chriſti
Regnũ multis locis occluſum, ac pro
pe deletum erat, diuina bonitas ne-
dum armis tueri & defendere digna-

ta est Christi Ecclesiam, eiusque nomen, quod est super omne nomen, uerumetiam inuentione corporis, Platonis diuini illius Philosop. quod quidam vir fodiens in Thraciæ latissimis muris arca lapidea inclusum, aureaque opertum lamina (cui hæc inscripta fuerāt) CHRISTVS NASCETVR EX VIRGINE MARIA, ET CREDO IN EVM, QVI DEVS EST, ET A DEO GENITVS AB AETERNO, CONSTANTINO ET IRENE IMPERANTIBVS. O SOL ITERVM VIDEBIS ME) fœlicissime adinuenit. Hæc Gigas testatur in floribus temporum. Cuius præterea rei testes sunt Paulus Diaconus & Sigebertus. Ecce quot documentis piorum ad pietatem armantur pectora, nempe portentis & monstris, flagellis & castigationibus, vt doceat se nolle mortem peccatorū, sed magis vt conuertantur, & viuant,


Chronicon Sigeberti.

ne quis insons & innocens periisse videatur.

ORATIO.

RESpice Domine de excelso gloriæ tuæ solio, vide ac visita uineam quàm plantauit dextera tua, omnes inter gentes magnificata. Exurge, vt non prævaleat homo peccati & Antichristi prodromus, miserere familiæ tuæ, quam truci pede conculcat. En vt nomen sanctum tuũ blasphemat. En vt regnum filij tui diuexat, & affligit miserè. Protector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui. In multis peccâsse Græciæ populum fatentur omnes nationes, quas tantæ tyrannidis pondus deprimit. At, etsi valeat nutrix obliuioni dare alumnũ suum, aut mater filium vteri sui, tu tamen, tuorum nunquam obliuisceris. Recordare ergò Domine, quid acciderit nobis: intuere ac subito respice opprobrium nostrum. Hæreditas nostra data est alienis, dom⁹ nostra extraneis. Effunde iram tuã in eos, quia te non noruerunt, nec nomen tuum inuocauerunt: vt coactè aut liberè agnoscant, quia nomen tibi est, quod superat omne nomen. Excita Regum ac Principum corda in caput Turcæ illius miserrimi, ac nominis tui infensissimi inimici, vt quod

hucusqúe laborum & industriæ destruendis Christianorũ finibus expositum, idipsum dilatandis Ecclesiæ Catholicæ finibus, in caput tyranni illius, conuertant. Da eis pacem, & in vera fide concordiam, populis quietem, omnémque felicitatem, vt tibi in hoc seculo seruire, & te in futuro perpetuò laudare valeamus. Per Christũ Dominum nostrum. Amen



DE MONSTRO, QVOD humano corpore & Capite Canino ortum habuit circa Annum à Christo. 914.



QVæ tam humana natio, & tam docta, aut quæ tã immanis, támque barbara (vt cũ Cicerone loquar) esse potuit, quæ nescierit quibusdam mediis futura prędici, & à quibusdam intelligi? Cœlum contemplabantur & eius cursus Assyrij, eandem artem Aegyptij longinquitate temporis innumerabilibus penè seculis cõsecuti putantur: alij superstitiosè diuini luminis fulgore destituti auium volat⁹ vanè comtemplabantur. Oracula quærebant alij: denique nemo nõ

curiosè quærere conabatur rerũ futu
rarũ pcognitiones. At quia viã ciui-
tatis & habitaculi non inuenerãt ve-
ram, veræ scientiæ cognitionem non
sunt assequuti. Id enim beneficij soli
Dei populo datum est, vt Prophetia-
rum & signorum documẽtis institu-
tꝰ, scitè quod & gratiæ & iustitiæ diui
næ sibi futurum esset, prout sibi vti-
le foret, posset cognoscere. Iubet 3. Re-
Helias puerum comtemplari cœlum, gum 18.
& in eo nubeculam quasi vestigium
hominis, vt futurã ac instantem plu-
uiam, quasi digito monstret. Datur
Ezechiæ infirmanti vmbræ regressus
in horologio, in signum sanitatis sibi
in proximum restituẽdæ. Redargui-
tur Achas contemnens signorũ do- Esai. 38
na sibi diuinitus oblata. Ergò nege-
mus omnia, comburamus Annaleis,
fictos omnes esse dicamus, quiduis
denique potius, quàm Deum homi-
num salutem non curare, fateamur:

hoc etsi prædictorum prodigiorũ suc-
cessus miseri, luce clarius demonstrẽt,
quis non, nisi miser ingratissimus, &
impius diuinæ erga nos beneuolen-
Fascicu lus tem. tiæ contemptor, præsentis monstri or-
tum mirabitur? Corpore humano & ca
nino capite fuisse memoratur. Quo,
quasi oculari prædicatione, annun-
ciabatur seculi illius hominibus, il-
lud Apostolicum, quod si inuicẽ mor
Ad Galat. 5. detis videte ne abinuicem consum-
mamini. Et quid alliud, homines in-
ter Christianos versabatur, tunc tem-
poris? mordacibus euim pugnis, & mu
tuis sese dilacerabant morsibus. Du-
rarant ad illa vsque tempora reliquię
impiarum Hæreseon Anthropomor-
phitãrum & Manicheorum, vt testan
Brgo. tur egregie Bergomensis scripta. Ta-
ceo Simioniam, cuius latissimum erat
regnum, Hẽrici temporibus. Eo enim
tempore Pius imperator prælium ini-
turus cum Vngaris, votum facit &

iurat corã vniuerſo exercitu,ſi DominusDeus victoriam daret,ſe Symonicã hęreſium, ab Apoſtolo Petro exploſam, atque damnatam, hucuſque neſcio quàm miſera Patrum incuria pluſquã miſerè permiſſam, toto regno ſuo expulſurum. Primum enim non latebat Imperatorem tali mercatura indoctis & auaris hominibus exhibitã fuiſſe anſam congregandi pecunias:deinde verò deſtituendi ſacratiſsimum Chriſti hominem iis omnibus, quæ ſibi à Chriſto capite & paſtore, præcipue paſcendis animabus,data fuerant.

Tunc enim uacupia maiora parabantur pecuniis exauriendis, quàm ſaluandis animabus. maxima hominum pars quæ ſua erant quærebat, non quæ Ieſu-Chriſti. Vigebat Auaritia,quæ eſt idolorum ſeruitus repleti prius pro panibus ſe locauerunt.

Luitprãdus lib. 2 cap. -. Philli. 2. Epheſ. 5 Reg. 2 Platina de vitis Pontif.

Et quid aliud ſchiſma Sergij declarauit? is enim cadauer Formoſi iubet terra erui, atque fœtida membra in iudicium ſiſti, & comdemnari, præciſiſque aliquot digitis, ac capite etiam amputato, truncũ in Tyberim proiici iuſſit. His omnibus addi poſſit dãnum Ecleſiæ Chriſti Nicephori Imperatoris temeritate inflictum. Arrepta enim occaſione mittendi atque aſciſcendi pro ſuo arbitrio Epiſcopos mox quoque cum ſui generis atque politicis viris ipſam religionis formã ac regulam præſcribere conatur, iubètque milites ſuos vnà cum ſanctis martyribus publicæ in ecleſia nominari inter ſacra Miſſarum ſolemnia. Id quod accidiſſet, niſi ſe patriarcha vnà cum multis verè chriſtianis hominibus illius impietati oppoſuiſſet, quem triennio à cœna remouendum in tanti criminis vltionẽ teſtatur Zonaras.

Nō iuuabant Franci Ecclesias, quas patres eorum construxerant, sed turpiter dissipabant, potius sedem Romanorum a Longobardorū iniuriis (vt quondam fecisse Pipinum & Carolum magnū cōstiterat) tutari ac defendere dedignabatur. Eorū incuria Hūni & Sarraceni Romanæ sedis & Apostolicæ bona vastabant. Quid ideo mirum si in tanta malorum congerie tot clades, tantásque miserias monstri huius natiuitas instare demonstrârit? Inter Græcos Imperatores eo seculo Basilio successit Cōstātinus frater. Is profectò callum in delitiis & voluptatibus obduxerat, adeo vt ad gubernationis onera ignauus & ineptus esset, datis ideo aliis officiis, ipse verò duntaxat ventrem curans, miserè obiit. Franci altera ex parte impietatibus suis deditissimi communi omnium consensu ab imperio excluduntur experturi in proximum, *Zonar. tom. 3.*

quàm periculoſum ſit, ſpretis patrum veterum egregiis virtutibus, omne vitiorum genus amplecti. Tunc (ait Faſciculus temporum) coguntur manere in terminis ſuis, experiẽtes õnium rerum eſſe periodum. Hæc reuera ſunt ſtatus mutationis fundamenta, certiſsimáque Regnorũ ac Imperiorum euerſionũ præludia. Tunc trãſfertur ad Germanos imperium, quorum vtinam mores non in deterius mutati fuiſſent, dicebãtur enim Allemanni, hoc eſt omnes viri, in armis utiq; ſtrenuiſſimi, catholicæ fidei acerrimi defẽſores. Nũc quàm ſit miſerum tantam nationem virorum antiquam exuiſſe togã, Patrum ſpreuiſſe pietatem, omnémque reieciſſe virtutem, vt ferarum omnium ferociſſimis induantur moribus plus æquo miſera, eorum rapacibus manibus ſpoliata, teſtis eſt Francia noſtra: neſcio an aliquando expertura in ea idipſũ,

Faſciculus Tẽporum.

miſeriæ noſtræ genus, quo cautiores & prudentiores cæteras fieri nationes optimum eſſet. Quid plura? eadem tẽpeſtate aliud mutationis genus accidit. Nam imperium, quod parentum in filios ſucceſſione cadebat, poſt Othonem tertium, electorum inſtitutione non ſanguine propinquioribus, ſed dignioribus dari cœpit. Ecce quã variè eorum, qui famem patiebantur, vt canes, omnémque mordacitatem exercebant, nedum arguuntur, ſed & caſtigantur ſæuiter crimina. Quod ſi ſemel atque iterum cogitaret canum noſtri temporis rabies pluſquam impia, diligentiùs fortè caſtigarentur canes impudentes ac venefici, repurgarentur cupiditatum, ambitionum & diſsidiorum flagitia. Nunc autem in tanta criminum indulgentia quid aliud expectari poteſt præter populi miſeriam, Principum clades, aut ſtatuum mutationẽ? Calcitratur quoti-

Guaguinus & Faſciculus temporum.

die contra ſtimulum diuinæ miſericordiæ, & humana calliditate aduerſus diuinam, infinitámque, ſapïentiã agitur. Atquæ eſt iſta calliditas, res (ait

Cic. lib. de Diuinatione. Cicero) vetuſtate robuſtas calũniando velle peruertere? Nonne hoc eſt ſuo damno in cælum ſpuere? Nonne

1. Cor. 1. dicentes ſe eſſe ſapientes ſtulti facti sũt? Vbi ſapiens, vbi ſcriba, vbi inquiſitor? Quid cornua miſera eleuas in Deum peccator? Quid cacabus adollã? nõne ſatius erat oculos ad propria conuerti vulnera? nonne melius multò de vita peſſima in meliorem cõmutanda cogitare? Ecce quot mediis ad pœnitentiam excitẽtur peccatores: ſcripturarum ſacrarum primò adhortationibus, deinde ſignis viſibilibus, poſtremò hiſtoriis rerũ geſtarum, vt felix eſto, quem aliena cautũ facere pericula potuerunt. Verum ut ſurdo in caſſum canitur fabula, ita ei qui ſe ipſum corrigere ac emendare

noluerit parum, aut nihil verba, aut ſigna externa prodeſſe poterunt. Beatus ideo ille, quẽ tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum, vt nutiges ei à diebus malis, donec fodiatur peccatori fouea. Doces enim audientes liberè, audiunt verò, qui nõ extremis duntaxat auribus, ſed puris & integris animi affectibus, ſuſcipiũt verbum & fructum afferunt in patiẽtia. Huiuſmodi non confuudentur in tempore malo, & in diebus famis ſaturabantur, quia peccatores peribũt. Cum ceciderũt, non collidẽtur, quia Dominus ſupponit manũ ſuam. Timeat ergó Dominum omnis terra, & commoueantur omnes inhabitantes orbem: eſt enim magnus, & maxima illius potentta, & ſapientiæ eius non eſt numerus. Suſcipiens manſuetos & humiles, humilians autem peccatores vſque ad terram. His ergò & infinitis huiuſmodi ſacrarum literarum

Pſal.93.

Rom.2.

Lucæ.8. & 11.

Pſal.36.

testimoniis deterreantur impij à sua impietate, & pij in sua syncera pietate confirmentur: dum tempus habemus, nulla sit ad pœnitēdum mora, aut dilatio. Nam (vt ait Hesiodus)

Hesiodi senten. Σχέτλιος ἦτοι πολλὰ μεταστοναχίζετ' ὀπίσσω
κῶν ἄτην ἀχέων ἥδ' οὐ παλινάγρετός ἐστιν.

Miser nimirùm valde plorat postmodum calamitatem suam lugēs, quę non reuocabilis est. Quodcunque ideo, peccator miser, potest manus tua,
Eccles.9. instanter operare. Nam nec sapientia, nec scientia, nec diuitiæ valent apud inferos, quò tu properas: pœnitet enim Esau, pœnitet ac pœnitebit perpetuò, pœnitentiam & vitæ emen-
Genes. 27. dationem distulisse. Illius impœnitēs cor imitatus, caue ne eandem cum
Heb.12 eo reprobationem assequaris, eleuatis in te amaritudinis miseris radicibus. Iam verò cùm vicem nostram miserā dolere deberemus, qui vix urbem integram, aut larem & victum habea-

mus, quos olim rerum copia celebres, & dignitatis ſplendor illuſtres fecerat, ridet omuis vicinorum turba dicteriis ac verbis quaſi virgarum ictibus miſerè affligi.

ORATIO.

QVis eſt iſte canis exprobrans exercitui Iſraël? Quis canis inquam iſte multiplex, niſi Satan in ſuis membris in Angelos lucis trāſfiguratis, vt debacchetur in Dei populum, ac rabido morſu incautos ſauciet? Exurgat Herculis pluſquam virtus, exurgat inquam immēſa Chriſti vis & potentia, cui omnis à patre data eſt poteſtas, cuius ſub pedibus omnia ſubiiciuntur, cuius nominis, inquam, virtute cōtremiſcat inimicus, crucíſque ſigno conturbetur ac perhorreſcat. Venit ad nos canis iſte hæreticorū inſtructus dētibus, vt incautos dente rabido mordeat. Venit ergò cum haſta & clypeo. Hi enim in curribus, hi in equis, nos autem in nomine Domini exercituum, quod perēniter ſuper nos inuocabimus. Eſt enim turris fortiſſima. In nomine ergo tuo ſaluos nos fac, ſalua nos ex ore canum, & libera nos propter nomen ſanctum tuum. Eos verò, quos ad hec vſque tempora aſtutia momordit Satanæ, inſpira, quæſo, inſpira Domine, vt interueniente gratiæ tuæ dulcedine Chriſtum mediatorem per-

fecta fide, ſpe, & charitate inueantur, in quo & per quem mors occiſa eſt. Perditas require ouiculas, conſeruatas ad finem vſque retine. Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis à templo ſancto tuo, quod eſt in cæleſti Hieruſalem, cuius ſcilicet conuerſatio in cælis eſt, & in qua aduentus iudicis expectatur, qui redditurus eſt vnicuique propria corporis, prout geſſerit, cum quo & ſpiritu ſancto viuis & regnas Deus, à nobis in æternum laudandus Amen.

De monſtro circa annum Domini 1233. oborto, vno humano corpore cõſtante, duobúſque capitibus, altero canino, & altero humano.



IN Albania ignobilem ac plebeiam mulierem peperiſſe monſtrum bino, & integro iũcto interea corpore, biniſque & integris conſtans capitibus, humano altero, & altero canino, retrò fuiſſe faciem canis, corporis & membrorum proprietate integrã, antè verò faciem & corpus hominis diſtinctum, teſtantur Licoſthenis ſcripta de prodigiis. Eſt autem & notatu & admiratione ſumma digniſsimum, quod, quo tempore monſtrum hoc ex cane & homine conflatum in Albania ortũ habuit, eodem Montiſalbani Aquitanorum miſera Ciuitas, eadem fere rabie, quæ hodie adiacentia loca ferè omnia caninis diuexat morſibus, vicinas vrbes mordebat, armis & proditionibus, Albigenſium infecta erroribus crudeliter affligebat. Quo enim modo clariùs ſignificari potuit horum natura miſera? Ij cùm homines in ſpecie viderentur,

abſtinentiæ multis in rebus profeſſo-res, à tergo tum canes erant mordacifsimi, procaces, blaſphemi, ſacrilegi & vt ad ſermonis cōpendium filum cōtraham orationis, omnes in vnum Caluiniſtarum & errores, & omnia opera, omnémque eorum impietatem ſecum habentes. Quid mirum ideo, ſi patres ſequantur filij? Tectoſagorū vexabantur fines, diſperdebātur agri, in iis paſsim trucidabantur ab hæreticis Sacerdotes, ſpoliabantur ſacra Dei templa, occupabantur proditionibus Ciuitates, &, vt vno verbo finiā, vt hodie fieri videmus, ciues catholici turmatim gradiebantur mœrore, pallore, & macie confecti, facie laruis mortuorum ſimiles, oculis, ſanguine, plusquam lachrymis, ſuffuſi. Alij facultatum ſuarum iacturam deplorabant, alij patriæ propriæ oppreſsionē, ac miſeram illius calamitatem, amiſſos parentes alii, parentum multi cru-

Hiſto. Albig.

deliter enectos liberos: flebat denique cognatus cognatum, & amicus morte amissum amicum, reuera fletibus & lachrymis, suspiriis ac gemitibus replebantur omnia, tãta erat hæreticæ prauitatis impia ferocitas, feróxque impietas. Hoc futurum, imò proximum, monstri in Albania nati natiuitas clamitabat, vno vix mortalium audiente. Et quis nescit Imperatorem Federicum tunc tẽporis voluptati meretriciæ: miserè indulsisse? Aut quorsum Nicetas Bizantinorum ignauiam & contumaciam acriter insectatus fuisset, nisi eos semisepultos criminibus, ac sua culpa ad extremũ suscipiendũ periculũ paratos agnouisse? Quorsum illis Solonis sequẽtia verba proposuisset, nisi Atheniẽsiũ criminũ reis. Versus enim sunt hi.

Fascic. tempor. Baptist. Egnat.

Nicetas Choniates in Annalibus ex Diog. Lærtio in vita Solonis.

Si vestro vitio tandem mala plurima fertis,
De superis ratio non sinit vlla queri.
Námque ope dum vestra libuit firmare tyrãnos,
Seruitii meritò vos graue stringit onus.

Aſtutam vapido geritis ſub pectore vulpem:
Et veſtris animis nil grauitatis ineſt.
Inſidias minimè, quas res docet ipſa, videtis:
Sed vos blanditiæ, fictáque verba tenent.

Quibus carminibus addit verba noſtro maximè tempore, notatu pluſquã digna. Quod ſi Solon ille (ait) ex poſteritate Codri ſapiẽntiæ conſtãtia per totum ferè orbem celebris, apud populum, verbis Regi ſolitum, fruſtra & dixit, & fecit omnia, quid alicui noſtræ ætatis homini, iuuandæ Reip. cauſa faciendum fuiſſet, cùm Imperatores noſtri ab ineunte ætate in vmbra & otio educati, more Endymionis, ſterterent, qui maturiùs cœnare ſoliti, tantum à rerum gerendarum opportunitate abhorrebant? quippe mala educatione prorſus corrupti, hyberno tempore flores, & verno poma requirerent? Ciues vero mercatorum & cauponum ingeniis prædi-ti, non modò non ad tubæ ſonitum ſurgere, ſed nec auium garritu exci-

tari soliti, suauiter dormire omnes, bellum prorsus ignorare didicissent. Hæc Nicætas Choniates. Magnos multósque abusus magnam cleri partem inquinâsse, imo & populi, ne dum ex Albigensium colligi potest historia, *Hist. Albig.* sed & ex prouincialibus conciliis cõtra hæreticos & ipsissimos abusus celebratis, *Concil. Bict erriens. & Tholos.* vt interea ex multis Diui Bernardi testimoniis crimina multa & nefaria insectãtis dignoscitur. Propter iustitias ideo suas flagellati sunt, *Psal. 106.* vt eos susciperet de via iniquitatis suæ. At quia pauci eorũ aures ad mẽtem perforatas habebant, non audiebant ideo, neque inclinabant aurem suam, sed potius indurabant ceruicẽ *Ierem. 7* supra petram, eodem correpti furore cum aspide, quæ non exaudit vocem *Psal. 57* incantantis, & venefici incantantis sapienter.

Non cessabat interea diuina bonitas semiperditos ad salutem reuocare,

mittit præcones egregios & piiſſimos
D. Bernardum, Dominicum & Frã-
ciſcum, qui eos virtute verbi & pie-
Faſcic. tempor. tatis exemplo ad meliorem mentem
reducerẽt. Fiunt terræ motus, apparẽt
Cometæ duo: alter paulò ante obſeſsã
à Tartaris Conſtantinopolim: alter
ante bellum Flandriæ. Mons in infe-
riori Burgundia diuiditur: naſcitur
monſtrũ in Albania bino capite hu-
mano, & canino, ac bino coniunctim
corpore, paucis intereà, quorſum hæc
omnia ſpectarent, cogitantibus. Non
defuerunt, qui fortè pro fabula duxe-
rint monſtri tam longè diſtantis talẽ
fuiſſe ſignificationẽ. Verùm quis du-
bitet Ionæ immerſionẽ Tharſum na-
Ionæ 1. uigio euntẽ inter Iudæos, imò & in-
ter gentes ſua ſignificatione locũ ha-
Math. 12. bere? nulla temporum ſeu locorum
diſcretione impediri poſſunt, aut de-
bent, diuina iudicia: ſicut cum fulgur
math. 24. exiẽs in Oriẽte apparet vſque in Oc-

cidentem, ita diuinæ illius clementiæ eò dantur beneficia, vt à ſolis ortu vſque ad occaſum laudètur nomen Domini. Edicta regia, comminationes & imperia variis diffuſa prouinciis, etſi vno loco prolata, locum vbique habere videmus: & illius qui dominatur à mari vſque ad mare, à flumine vſque ad terminos orbis terrarum, leges, iuſſa & minæ contempta iacebunt? O inſaniam hominum! O rabiem pluſquã effrenem! Inſurgũt nunc Veneti in Bizantinos, nunc in Latinos Scythæ, nunc Latini ipſi Romanorum (ait Nicetas) defectione, & Scytharum de ſe victoria inflãmati, crudeliter iu noſtros ipſiſſimos ferro & igne graſſabantur: denique Romani & à Scythis, & à Latinis vexabãtur, ſũpta occaſione ex Alexis in fratrem Iſaacium patrata crudelitate: quam egregiè Paulus Aemilius ſæuitiam ex Nicetæ Choniatæ ſcriptis his

Pſal. 112.

Simile appoſitũ

Pſal. 71.

Paul. Aemil. in vita Philipp. Aug ex Niceta Choniat. annal.

ferè verbis breuiter recenſet. Iſacius Græcus Cæſar, Alexin fratrẽ à Turcis captum magno redemerat: omnibúſque in rebus eius opera, conſilióque vtebatur, maxima quæque eius fidei credebat: tantum nomen iúſque imperii non conſociârat. Et ille ſimulatione leuãdi grauioribus curis fratris de ſe optime meriti, munia publica, priuatáque diligẽter, induſtriéque obibat, ciuium ora vertebat, milites præcipuè liberalitate, humanitatéque ſibi conciliabat. Cæſar gaudere ſibi otium cum maieſtate datum ſolebat. Omne onus tantæ molis imperii adminiſtrandi fratris fidei incubuiſſe: ſe Auguſtum illius virtute tutũ, tectúmque: eum pietatis ſuæ parem gratiam referre, barbarorum ſemel, ſua liberalitate, faucibus ereptum, ac in aulam reſtitutum, tranquilitatem, quietémque á rerum rerũ in turbine, temporũque tumultu præbere. Verùm hæc,

Alexis callida ſimulatio.

illi non ſatis compoſita lætitia, perniciem non paruam attulit. Nam miſer Alexius fraternæ oblitus miſericordiæ, & mirificæ in ſe pietatis & clementiæ, parum fraterno vtens animo, imperium, fratris magno damno & periculo, affectat, affectatúmque occupat, Iſacio fratre capto, oculiſq; priuato, ac in extremam neceſsitatem & cuſtodiam miſeram redacto. Sic enim miſer, & æquo plus humanus Iſacius canem mordacem ſibi iunctum habuit, iuxta mõſtri ſignificationem, à quo dilaniandus, & miſerè deuorãdus erat, & ſic alter effectus Actęon voce lugubri clamare cogebatur. Iſacius ego ſum, Dominum cognoſcite veſtrum. vir ergò mollis, vęcors & effœminat⁹ res peſsima, exitioſiſsima, ac periculoſiſsima exiſtit: cui qui parẽt, quid infortunii, quid miſeriæ, extremique periculi nõ experiuntur? Quas non vident & plenis hauſtibus epo-

tant afflictiones? quale calamitatum genus non experiuntur? Dum hæc interGræcos geruntur, Pastorelli pietatis specie induti, quasi occupatores terræ sanctæ expugnaturi, Iudæorum rapiunt diuitias, Lutetiaque aggressi expoliatis Iudæis, bona ecclesiastica vi atque armis diripere tentãt, maiora multo effecturi, nisi, armis acriter furẽtibus, reuocati ad Vasconiæ fines, Verdunum & Montegium, patriam nostram charissimam, omninò deleti fuissent, vt exemplar historiæ, quod Ausci extat, testatur. Tunc præterea Otho Philippo Augusto, & Philippus Othoni infensissimus erat inimicus: vnáque morsibus caninis, imo plusquam ferinis, replebantur tunc temporis omnia, non sine graui Reipub. iactura. Nam grassantibus interea bellis ipsos inter monarchas, hæresis impia altiores agebat radices, vnde crescentis in dies mali nostri oborta,

Pastorellorum rapacitas.

Eorundẽ mors prope Mõteg.

Guagui. Paulus. Aemil.

fuiſſe femina ex annorum ſupputatione colligi poteſt. Non enim diu expectatus fuit poſt D. Ludouici Galliarum regis obitum, Vuiclefui aduentus, vix interpoſitis ducentis annis. Ergò cum hæreticorum ſermo vt cancer ſerpat, & Vuiclefui hucuſque Boëmiam conſtet tantæ impietatis conſeruâſſe quiſquilias, nemini mirum eſſe debet, ſi eorum dentes filiorum obſtupeſcant, quorum parentes (magna ex parte) vuam manducârunt acerbam. Miretur præterea mecum Lector, hæreſis Albigenſium & Caluiniſticæ vnum, eundẽque progreſſum: quæ cùm ſint opinionibus ferè æquales, iiſdem etiam hominũ generibus, ſi hiſtoriam perpendas, eiſdem vrbibus occupatis, proditionibus, homicidiis, rapinis, ac ſacrilegiis, vſas fuiſſe manifeſtũ erit. Occupàrat illa Tholoſam, Montem-Albanum, montẽ Peſſulũ, Bicterriũ, eaſdémque

Similit. hæreſis Caluiniſticæ cũ Albigẽs.

Caluiniſtarum deteſtanda impietas aut occupauit, aut quanta potuit fieri panurgia occupare tentauit. Videte ergò, canes, videte malos operarios, videte, & ſemel cognitã rabiem, propulſate Galli, ne veſtros vſque ad necem mordeant filios. State ſuper vias rectas, & interrogate diligẽter de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona: ambulate per eam, & inuenietis requiẽ animabus veſtris.

Ierem. 6

ORATIO.

Qvare nos percußiſti Domine? dediſti nos tanquam oues eſcarum, dediſti, inquã, nos opprobrium vicinis noſtris, ſubſannationem & deriſum iis, qui in circuitu noſtro ſunt. Magna profectò eſt plaga noſtra nimis, & non eſt, qui tantæ medeatur infirmati. Agnoſcimus reatum, agnoſcimus culpam noſtrarum miſeriarum: iam iam patrata crimina cordium noſtrorũ oſtia pulſant, inſpirationi inhæret cognitio: cognitionem ſequitur dolor: dolorem præterea ſequetur vera cum vitæ anteactæ emendatione pœnitentia. Exurge ergò Domine, exurge, & ne repellas in finem. Quare obliuiſceris inopiæ noſtræ & tribu-

lationis nostræ? Insurrexerunt in nos canes multi: consilium malignãtium obsedit nos: aperuerũt super nos os suum, sicut Leo rapiens & rugiens. Visita nos in multitudine miserationum tuarum, nequando dicant impij, manus nostra excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia. Memor esto huius, inimicus improperauit Domino, & populus insipiens irritauit nomen tuum. Nos autem populus tuus, ouiculæqúe pascuæ tuæ, non discedimus à te, fidei Catholicæ vnitatem omnibus visceribus conseruantes. Faciem ideò tuam illumina super nos, doce nos iustificationes tuas: proba nos Deus, & scito cor nostrum, interroga nos, & cognosce semitas nostras, & vide si via iniquitatis in nobis est, & deduc nos in via æterna. Regis nostri ac Reginæ matris illius animos in fidei firmitate corrobora: da ei consilium rectum, exercitum fortẽ, senatum fidelẽ, & quicquid christianissimo Regi vtile est: fidißimum fratrem suum Henricum in sua syncera pietate ac pia synceritate conserua, in summa fratres suos ac sorores tuo semper nomini seruientes, vnitatísque christianæ protectores, diu nobiscum retine: vt finibus Ecclesiæ Gallicanæ eorũ ministerio, in sua integritate sertis, omnes tibi vno ore in Ecclesia tua gratiarũ referamus actiones. Qui in trinitate perfecta viuis & regnas Deus in secula seculorum. Amen.

De duorum puerorum natiuitate, quæ accidit sub finem imperij Græcorum, imperante Andronico vltimo circa annum Domini 1293.



INterrogatum aliquando Biantem, quid ageret Iupiter in cœlo, respondisse ferunt, eum humiliare elatos, & eleuare humiles. Quòd reuera scripturæ sacræ tribuuntDeo viuenti,
1. Regū qui mortificat & viuificat, deducit ad
2. inferos & reducit. Ipse est, qui pauperem facit, & ditat, humiliat & suble-
Psal. 112 uat, suscitat de terra inopē, & de ster-

core erigit pauperẽ. Et vt Mariæ virginis verbis vtar, deponit potẽtes de sede, exaltat atque humiles. Vnde *Lucæ. 1.* illud scitè non minus, quàm eleganter ab Euripide scriptum emanauit.

Ὅταν ἴδῃς πρὸς ὕψος ἠρμένον τινὰ
Λαμπρῶς τε πλούτῳ καὶ γένει γαυρούμενον,
Ὀφρύν τε μείζω τῆς τύχης ἐπηρκότα
Τούτου ταχεῖαν νέμεσιν εὐθὺς προσδόκα. *hoc est.*

Cum videris in sublime quempiam elatum,
Splendidis gloriantem opibus, ac genere,
Supercilióque supra sortem suam fastuosum:
Illius celerem diuinitus expecta breui vindictã. Ezech. 19

Sic enim Ezechielem quondam clamâsse legitur. Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis & abundantia, & otium ipsius, & filiarum eius. Tunc reuera periculosissima sunt nauigia cũ è fluctuum altissimorum cacuminibus in pelagi abyssum naues submersioni proximæ videntur, paruis quantumuis ventorum flatibus ad periculum propellentibus. Satius profectò erat,

nunquam ſecundo vento nauigâſſe, quàm poſt tutam & longam nauigationem calamitoſum paſsis velis naufragium pati. Ita reuera tutius nullã humanam felicitatem capeſſere, quã ſemel accepta præter ſpem priuari. En ſunt in procinctu exempla duo egregia humanę felicitatis acriter ac repentè caſtigatæ. Expectârat Deus optimus maximus annis pluſquam 1100 Byzantini imperij, Græciæ totius correctionem: miſerat diuerſos diuerſis temporibus, ac multos verbi ſui egregios prędicatores. Verùm illorum magna pars (vt paſſim hodie fieri videmus, maximè inter aulicos) aut verbum perfunctoriè audiebat, aut omninò aſpernabatur, expectat intereà ſeram eorum pœnitentiã miſerator & miſericors Dominus patiens & multùm miſericors, expectat, in quã, diu, & expectatos admonet vndique nunc terræ motibus, aſtrorum fulgu-

rum inundationum, multorúmque ſignorum clariſsimis comminationibus. Illi contrà rati talia haud ad ſe pertinere, magis ac magis execrãdo ſuo ſomno, atque inerti veterno torpeſcunt. Diu ergò poſt miſeram eorum ſurditatem cunctatus dominus Colophonem ſuis commonitionibus additurus, re & ſigno palpabili eos cõmonefacit. Nam ſub finem imperij, tẽporibus Andronici vltimi, puer Byzãtii naſcitur à pedibus vſque ad vmbilicum continuus, inde veró diuiſus humeris, pectore, ſpina dorſi, biceps, quadrimanus, qui poſt vnum diẽ expirauit. Hoc vero monſtro quid aliud portendebatur, præter ſubitam imperii Byzantini ruinam, eo quod cùm vnius eſſet fundamẽti, & vnius fidei eſſe deberet populus, vnóque greſſu ambulandum eſſet: tamen omni varietate conſtitiſſe miſerum populum Græcorum teſtantur hiſtoriæ. Primo

Nicep. Grego-

ut à capite Andronico exordium ſumamus, Imperator, ait Nicephorus Gregoras, adeo de ſe magnam conceperat opinionem, vt neminis conſilium admitteret, ſui vnius ſcientiæ & ſentẽtiæ inſiſtens. Quaſi veró principum cornuta (ſi ita loqui liceat) quorundam eſſe non poſsint iudicia. Addit præterea minutularum rerum occupationibus diſtractum fuiſſe Imperatorem à grauioribus negotiis. Canes enim, ait, & aues venaticas magno alebat numero: quibus ita erat deditus, vt ſi quis eum aditurus, canẽ aut auem offerret, facillimè compos voti redderetur. Quæ omnia Cantacuzenus, poſt eius obitum, iis qui petebãt diſtribuit, cum magnitudinem reputaret, & rem ipſam imperio non modò inutilem, ſed etiam periculoſã iudicaret. Hæc Nicephorus Gregoras. Temeritatis præterea arguendus erat Andronicus, vt eiuſdem hiſtoriæ

Niceph. Gregoras.

verba innuũnt. Nã vſque adeo fiducia plen9 erat, vt maxima ex parte ſine cuſtodia ageret, & ſine imperatoriis (nõ ſine periculo fortè) militibus, ſæpe etiam, quos retia & laqueos cõtra ſe inſtruere ſciret, in eaſdem ædes admitteret, & menſæ adhiberet. Vulgarem ſeſe inter plebeios præbebat, adeo vt ſæpiùs à turba populi premeretur, ſecedens aliquando, vt locum inferioribus daret, nulli unquã ſuccẽſens. Huius paulatim capitis ſic deprauatis moribus cœpit Græciæ totius iuuentus à paternis deflectere ritibus. Nam illo Imperatore is mos vſq; adeo obſoleuit, vt omnes ſimul & adoleſcentes & ſenes pileis vterẽtur, non minùs in palatio, quàm in agris (vt hoc miſero noſtro tempore, aduerſus Patrum cõſuetudinem, omnes & in palatio, & in templo, neſcio an in lecto galeros adferre videmus) iiſque multiformibus & peregrinis,

& quales cuique probabantur: alij latinis, alij Misiis & Triballicis, alii Syriis & Phœniciis, suo quique arbitratu. Eodem more in vestibus etiã vsi sunt, vt prudẽtiores nouitatem aliquam, & destructionem imperii, & finem institutorum & morum illius diuinarent. Ecce quàm clarè horum mores perditi ac miseri exitum Gallorum miserorum, & mores corruptissimos in tãta ornamentorum superuacanea varietate plusquam miserãdum exitum demonstrârunt.

Alius Germanus videri vult habitu, moribus Hispanus, corpore Gallus, &
Iere. 12 animi viribus nullus. Nonne quasi auis discolor facta est hæreditas mea, dicit Dominus? Iure ideo aliarum auium superbè ornati plumis fabulosæ corniculæ opprobrium & irrisionẽ gerimus, non iniuria facti sumus opprobrium vicinis nostris: meritóque omnes videntes nos deriserunt, lo-

quuti sunt labiis, mouerunt caput. Præstaret profectò mutare consilium in melius, quã in malè institutis pergere iuxta vulgatum prouerbiũ. Recurrere satius est, quam currere male, ne fortè ad nos pertineat illud Liuii Andronici, Serò sapiunt Phryges. Dubium sanè ne nobis aliquãdo clamantibus Domine, Domine, aperi nobis, respondeat ipse, Nescio vos.

Ex Liuii Andronici tragœdia.

Nescio vos.

Eodem fere tempore oritur quidam Hermannus hæresiarcha Fratricellorum, & caput monstrosum eorum impietatis, à quo multi Hermanni dicti. Isti (cum Caluinistis) putârũt neque Bonifaciũ, neque Iohãnẽ, aut aliũ ex eorũ successorib9 legitimè vocatos fuisse ad Põtificatus summi dignitatẽ. At maiorem operam dedisse explendis suis libidinibus, quàm obiurgandis pontificibus constat. Nam præter stupra & adulteria, quæ passim abditis receptaculis ad id negotij compa-

Vide in extrauagante Iohãnis 2. quæ incipit Sancta Rom.

Et Gab. Prateol.

Supplementũ Chroni.

ratis exercebant, etiam publicis eorũ ritibus tale quid ſceleris patrabatur. Vocabãtur ſeductæ ſpecioſiores quæque vel viduæ, uel virgines, perinde erat hominibus ſua iniqua appetentia non deſtitutis. Aduẽtantibus autem ſuæ ſectæ miniſtris, noctu captãdæ amicarum beneuolentiæ gratia, hymni aliquot canebantur. Quibus ſub noctis medium (vt vulgò fertur) finitis, miniſtri alta admonebãt voce binos debere marẽ & fœminam (inuocato prius ſpiritu-ſancto, vt ferè omnibus vſu venit Hæreticis, qui impietates ſuas aut præcũ fuco, aut verborum lenocinio occultát) in cõplexum, carnalémque copulam cõmiſceri. Quo audito, luminibus illico extinctis, quiſque virorũ, aut potius hircorum, proximam mulierum (auditu certe pluſquã horrendum) proſternebat ſibi. Quod ſi ex complexu huiuſmodi aliqua concepiſſet, infans

Fucus, quo Hæretici tegunt impiet. ſuas.

Fratricellorũ luxuria.

genitus mox ad conuenticulum illud in ſpeluncam deferebatur, & ibi per ſingulas eorum manus tradebatur tandiu, totiéſque manibus contrectandus, quouſque animam exhalâſſet: iſque, in cuius manus infantulus efflabat animam, ſūmus eorum Pontifex (non miror Caluiniſtas ſuũ Poltrotum inter ſanctos eius generis retuliſſe) diuinóque, vt aiebant, creatus ſpiritu cenſebatur. Quibus peractis aſſatus puer in puluerem reducebatur, & puluis aquæ immixtus omnibus potandus dabatur. Et quid non audet hæreticorum impietas? Quid *Pſal.* 13
non, quantumuis à vera ratione alienum, inuiſum, & inuſitatum in lucē *Pſal.* 51
edere, & propalare tentat? Non eſt timor domini ante oculos eorum, gloriantur in malitia, potentes in iniquitate. quidni? Imitatur enim recta via *Eſaiæ*, 14.
eum, quem quondam dixiſſe conſtat, Aſcendam ſuper nubes cœli, & ero

Tertul. de præscriptionibus aduers⁹ Hæret. similis altißimo. Hinc de hæreticis, nec iniutia, Tertulianus omnes (ait) tumēt. Quem piè & doctè sequutus Bernardus dixiſſe fertur. Omnibus vna intētio hæreticis ſemper fuit, captare gloriā de ſingularitate ſcientię, adeò vt neminem eorum pudeat ſingulis diebus quid ſingulare, nec alios inter vſitatum ad lucem prodere. Imple, Domine, facies eorū ignominia, vt quærant te, Deus Iſrael, & cognoſcant, quia nomen tibi Dominus: tu enim altißimus ſuper omnē terram. Nunc ad aliud pottentum accedo.

Bernar. ſup. cāt. ſer. 65.

Pſal. 82

Puer circa Traionopolim uiſus, qui anno tertio balbutiebat, vt infās, ſed is erat præditus viribus, quibus vir viginti annorum, & viro non minùs comedebat, & circa pubem pilos habebat, atque vir ætate integra. Sed priuſquam annum quintum expleuiſſet, febri correptus obiit. Neſcio profectò an præcox illud robur, &

mortis

mortis insperatus, subitúsque aduentus proximam Genuæ, florentissimæ quondam ciuitatis, cladem sit auguratus. Hæc, inquam, quæ Ligustici totius sinus emporiū, similitérque Lōbardiæ patens ianua est, quæ tantùm naualis belli peritia excelluit, vt pyratarum aliquando latrocinia aperto marte potuerit extorquere. At post Caroli Magni tempora, plurimam ciuiū suorum tyrannidem passa, peregrinos Dominos inducere coacta est, vt se à domesticorum iniuriis meliusculè vēdicaret. Causam & tantæ calamitatis fundamētum, ex Nicephoro Gregora colligere pergratū erit, atque perutile. Ait enim eodem anno, quo monstra hæc innotuerunt, & sub Autumni initium, Genuēsem Rempub. perturbatam fuisse; eo quòd genere in ea præstantes & opibus, fastu & superbia elati, democratiæ æquabilitatem in tyrānidem mutârant. Cùm er-

Supplementum Chronicorum.

Niceph. Gregoras lib. 11. histo.

gòplebs ab eis crudeliter premeretur, ac in dies magis ac magis vexaretur: optimates seditione mota vrbe eiicit, vnúmque è populo principem constituit, imitata cõsulatus Romani dignitatem, vel exemplo à Venetis pe- tito. Et sic quã proterui homines malè imperando ceperant voluptatem, eam miserè exulando amiserunt. Neque credi potest rapidã illam & præcipitem dominationem diu duraturam esse. Nullum enim violentũ perpetuum. Et iamdiu ergò, & nuper firmata regna ac imperia discant timere eum, qui nouit vocare ea, quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, maiora imminuere, imminuta firmare, ac iterum firmata, si à fidei pollicito discesserunt, infirmare, destruere, ac radicitus euellere. Vbi nunc Memphitica illa semiprodigiosa ædificia? Vbi Romanorum inuicta illa potentia? vbi eorundem vndique magnificus cul-

Iusta tyranni vltio.

tus? Vbi Gallorũ nostrorum omniũ linguis & nationibus laudata, & ad cælum vsque euecta virtus, pietas, virtus, robur, ac insuperabilis potentia? Tenuit eos superbia, ideò operti sunt iniquitate, & impietate sua. *Psal. 72.* Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorũ, transierunt in affectum cordis. Cur ergò gloriæ & gratiæ maiorum cupidi, eorum pios mores non imitamur? Cur eorũ gressus ac vestigia non sequimur? cur emendatis vitiis ad virtutum actiones non confugimus, audituri illud Cereris Triptolemo dictũ, satis vulgatũ ἂν μὴ καθάρῃς κ᾽ ἀλέσῃς, οὐ μὴ φαγῇς, quod est, nisi & repurges, & molas, nunquam edes. *Vulgatũ prouerb.* Expurgemus ergò vetus fermentum, vt simus noua cõspersio, sicut sumus azimi: *1. Corinth. 5.* addatur manus labori, vt beati esse posimus. Nũquam nostro damno audiatur illud Apostoli, qui non laborat nõ manducet. *Psal. 127.* *1. Thessal. 3.* Vsquequo dormis piger,

Prou.6. quando consurges à somno tuo? paululũ dormies, paululũ palpitabis, paululum cõseres manus tuas, vt dormias, & veniet tibi, quasi viator, egestas & pauperies, quasi vir armatus.

ORATIO.

DOMINE Iesu Christe, qui immẽsa tua & ineffabili potentia mundum creâsti, ac sapientia singulari eundem regis, & gubernas, tu, inquam, qui attingis a fine vsque ad finem fortiter, & disponis omnia suauiter, illustra faciem tuam super seruos tuos, vt discant iustificationes tuas, doce nos Domine facere voluntatem tuam & patris tui, vt te tuo cibo, tibíque grato pascamus. Vide Domine, vt facti sumus viles atque contemptibiles, vt calumniator Draco ille, quem formâsti ad illudendum perniciʃsimè homini, tua benignitate coniuncta ædificia spiritalia conatur dissoluere, destruere, & ad nihilum redigere: ex omnibus partibus terræ elegeras tibi foueam vnam, ex omnibus ciuitatibus elegeras tibi catholicam, ex omnibus arboribus elegeras tibi vineam vnam, ex animalibus elegeras tibi columbam vnam, & ex omnibus floribus terræ excerpseras tibi lilium vnum. At Leones & Vrsi foueam tuam disʃipare tentant, vt non habeat filius hominis, vbi caput suum reclinet. Ciuitatẽ

Prou. 3. Psal.118 Psal. 143. Lamentatio. Psal.130 4. Esdræ. 5.

vastare prædones tentant, columbam persequuntur milui, vineam exterminat Aper de sylua, Psal.79
& singularis ferus depastus est eam. Lilium & iam omnes vermes deuorare conātur. Nam in isto Galliarum lilio residuum erucæ comedit rubigo, rubiginis residuum commedit Brucus, Bruci Ioëlis. 1.
verò quòd superfuit, deuorauit locusta. Nullum enim non miseriarum genus depascitur hoc, quòd hucusque pulcherrimum fuerat, Lilium. Adiuua ideò nos Deus salutaris noster, & propter gloriā Psal 78
nominis tui Domine libera nos, propitiúsque esto peccatis nostris propter nomen tuum. Da populo vnitatem, nostrísque principibus humiliter & non altè sapere, vt sibi commißi gregis curā habentes, eum ad pascua deducant & reducant, vsque dum post vitæ huius miseræ cursum, omnes Psal.22
tibi & gratias agere, téque cum electis omnibus in æternum laudare mereamur, qui cum patre & spiritu sancto viuis & regnas Deus in perpetuum. Amen.

De puero, qui natus fuit circa annū Domini 1389. vno capite, quatuor brachiis, totídemque pedibus.



QVod pij parētes ſolēt chariſsimis liberis, hoc Deus, qui verè omniū pater eſt hominibꝰ gratiæ & curæ cōferre ſolitꝰ eſt. Quid enim nō agit pater, vt filij mores & animū formet? quid non experitur & tentat? Ageſilaum ſcribunt domi baculo vnà cum filiis equitâſſe, & vt eos equitare doceret, & vt innueret, quantus paternus eſſet in filios amor. Phocion cùm filij intemperantiā cohibere non potuiſſet, Lacedęmonē miſiſſe inſtituendum conſtat, eóque adoleſcentum

Eraſ. Apophtegma ex Plut. excerptum.

Sabell. exempl. lib. 3. cap. 2.

ordine collocâsse, quem ἀγωγὴν appellabāt, vbi laconicè pueri instituebātur præferens Atticæ disciplinæ, quæ tum omnium præstātissima erat, Laconicā, ingenuè ratus (vt verum quotidie experimur) vitam hominis non minùs exemplis, quàm præceptis formari. Eodem affectum fuisse animo Augustū Cæsarē erga Luciū & Caiū adoptatos cōstat: eos enim suo natare docuit exēplo. Nūc parentes, ait Seneca, excitari iubēt liberos ad studia obeūda maturè feriatis quoque diebus, nō patiuntur esse otiosos, & sudorem illis interdū & lachrymas excutiunt.

Seneca libro de diuina prouidētia.

Aliquando specimen artis & occupationis exigunt, ac probè acta laudant, errata verò emendant. Si enim vos cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quis eum, qui ipsissima charitas est, minora suis elargiturum liberis, quàm mortales mortalibus exhibeant, suspicabitur?

Lucæ. 11

Nũquid non ipſe pater tuus (ait Mo-
Deut.32 ſes) qui poſſedit te, fecit & creauit te?
ab eo enim omnia expectauit, vt illis
largiatur opportunè? Is præterea ea
donat, non quæ ſæpe delirantiũ mul-
torũ auet cupiditas, petitque impor-
tuna ac ſine delectu, aut vllis rationis
momẽtis auiditas, ſed cùm ſciat, qui-
bus egeamus, & cùm apud eum greſ-
ſus hominum dirigãtur, amãs pater-
no pluſquam amore, ea dũtaxat quæ
nobis plus vtilia, quàm grata ſint, in
dies porrigit, donátque. Vtinam nos
tantæ dilectionis memores ſuæ debi-
tas gratias ampliſsimæ reddamus bo-
nitati, ne fortè idem de nobis, ac de
ingratiſsimo Iudæorũ populo, dica-
tur, nempe obliti ſunt benefactorum
eius, & mirabilium eius, quæ oſtendit
Pſal.77 eis. Et hæccine reddis Domino popu-
le ſtulte & inſipiens? Diuina ideò ac
Deut.32 in nobis paterna pluſquam benigni-
tas, nunc minis agit, nunc verberib?

castigat, castigatos aliquando amplectitur, amplexos ad meliora adhortatur & prouocat, vt emendentur in melius, denique emendatos & verbis & signis omnimodè ad perseuerantiam adhortatur. Quam bonus Israël Deus iis, qui recto sunt corde. Is eum regit Israël, & deducit velut ouē Ioseph. Quis sicut Dominus Deus noster? quis (inquam) illi similis, qui in bonitate sua docet nos iustificationes suas?

Psal. 51
Psal. 21.
Psal. 112
Psal. 118

Iactent ideo suos, quantum volent, Athenienses Phociones, efferāt laudibus suos Romani Augustos Cæsares, extollant suos Aemilios, Papirios, cæteró sque liberorum educationis amatores, suis certè cōtinebantur laudes finibus. At verò à solis ortu vsque ad Occasum laudabile nomen Domini, domini, inquam, clamantis. Venite fili, audite me, & timorē Dei vestri docebo vos. Gustate & videte,

Psal. 112
Psal. 32.

quoniam ſuauis eſt Dominus. Beatus quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eũ, vt mitis ſis illi propitius ac miſericors, donec fodiatur impio fouea. Ecce quã variè ſuos exerceat, vt aſsidua exercitatione artis omniũ perfectiſsimæ peritos efficiat. Iubet grata, piis ac ſacris legibus ingrata corripit, ac deprimit. Si quid verò à piis rectè & probè factum fuerit, approbat, laudat, abundéque penſat. Hinc corripiuntur Adam & Agar: contrà caſtigatur iuſtiſsima vltione Cain⁹

Geneſ. 3. & 16.

Cõtrà verò credidit Abrahamus Deo, & amicus Dei appellatus eſt, reputatúmque eſt illi ad iuſtitiam. Nónne pietatem & obedientiã Dauidis miris euehit laudibus? Inueni (ait Dauid) ſeruum meum, oleo ſancto meo vnxi eum, manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum cõfortabit eum. Hinc eſt quod adeo libenter gratias agens exclamat Pſaltes. Quid

Geneſ. 4 & 12.

Pſal. 88

Pſal. 115.

retribuã Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Vtinam porrectã nobis diuinæ clementiæ manũ teneremus illius ducatum capientes, & ad nutum voluntatémque illius gradientes, in via mãdatorum ſuorum, audituri aliter illud. Extẽdi manum, & non erat, qui aſpiceret. Ego autem in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo vos, cùm id, quod tenebatis, exciderit. Vtinam noſtrum non eſſet hoc miſero dicere poſſe tempore illud Seruatoris.

Cui aſsimilabo generationem hanc peſsimam, niſi pueris iure ſuis ſociis clamantibus. Cantauimus vobis, & non ſaltâſtis, lamentauimus vobis, & non planxiſtis. Et quis non videt diuina hodie monita ſpreta, & ingratiſsimorum pedibus hominum miſerè conculcata? Quis Prophetarũ non iure cum Ezechiele clamare potuerit, Domine, Populus iſte non au- *Eſech.3*

dit te, quia non audit me. Aut cum Dauide, Furor illis ſecundum ſimilitudinem ſerpentis, & ſicut aſpidis ſur-
Pſal. 57 dæ indurantis aures ſuas, non audierunt nec inclinauerunt aurem ſuam: ſed indurârunt ceruicem ſuam ſupra petram, peiúſque operati ſunt, quàm patres eorum, illis deteriorem multò
Ierem. 7 accepturi conditionem.

Diſsidiis proxima ſecula inuoluta fuiſſe teſtatur præcedentis mõſtri deſcriptio, Latinis in Romanos, & omnibus ferè in Græcos inſurgentibus. Genuenſes in Venetos, Venetique in Genuenſes armati, ſeſe mutuis concertationibus affligebant, breui forte perituri vtríque, niſi miſericors pater eorum miſeratus dolores & afflictiones, pacem dulciſsimam interpoſuiſset. Pace ergò eos placidiſsima
Licoſt. de prodigiis. donat, adhibitis (ait Licoſtenes), quibuſdam conditionibus, cupiens tantum donum non ſperni ſegniter, ſed

potius vlnis, ut vulgò dici solet, vtrísque excipi, perpetuóque conseruari. Et quid aliud diuina nobis concionantur oracula, præter vnitatem & concordiam? Loquitur Dominus (ait Psaltes) pacem in plebem suam, & super sanctos suos, & in eos qui cõuertuntur ad cor: eos (inquam) qui piè sibi diuinitus data vtuntur bona voluntate. Is nedum pacem, quasi donũ ex suis sacratißimum laudat, sed vt speciosos pedes euangelizantium ac annunciantum eam, ac beatos pacificos egregiè testatur. Quid enim gratius piis esse potest, etiam telas aranearum vix contexentibus, quàm (vt quõdam dixisse Euripidem testis est Stobæus) cum trãquillitate senecta frui cana? Tãto munere donati mortales, item natiuitate pueri, eo die quo pax firmata est, quaternis & brachiis, & cruribus, nati, ad mutuam inter se pacem & concordiam, quasi viua cor-

Psal. 84

Esai. 52.

Math. 5.

Stobæus sermone de pace.

Licosthenes de prodig. & ostẽtis. poris mystici sub vno & eodem capite Christo membra, oculari, visibilíque prædicatione adhortantur. Vtinam tantum prodigium cum ipsissimo Dei verbo contulissent. Nonne statim occurrisset illud Apostoli non minùs sapientér quã sanctè prolatũ? *1. Corinth. 12.* vos estis corpus Christi, & membra de membro, & omnes qui de vno pane, & vno calice participamus, vnus panis, vnúmque corpus sumus. Et illud. *1. Corinth 10* Omnes vos vnũ estis in Christo, iísque omnibus vnitatem corporis my- *Calat. 3.* stici proponentibus testimoniis addidissent illud, quod maximè eam sub *Exod. 12.* vmbra commendauit. Os non comminuetis ex eo. Et illud Sapiẽtis. Stul- *Eccles. 4.* tus complicat manus suas & comedit carnes suas. Hæc meditati fortè non se adeo beneficiorum Dei patris contemptores præbuissent. Verùm quid turpius fieri potuit, quàm quod scripturæ sacræ donum commendãt, quod

à Deo gratuito offertur reipſa, ꝙ prę terea pueri natiuitate quaſi digito mõſtratur, reſpuere, &, quaſi nauſeabundos reiicere? Tunc crines carpẽdi erant, nec ſpernenda ad omnem proſperitatem reſerata porta: vt facturos iudicaſſem, niſi ſcirẽ carnales vix rerum pretioſarum, quandiu eas poſſident, ad vnguem æſtimare pretia: quæ ſemel perdita ſtatim mirari, & (proh dolor!) deflere cognoſcũtur. At hoc eſt luſu amiſſas deflere pecunias, & mediis demerſum maris fluctibus, Cratis auri põdus cũ lachrymis quęrere. Vix autem exempta reuertitur felicitas, niſi ea opportunè data vtamur. Cuius enim non mouebũt corda, etſi ſint lapidea, dulciſsimi ſeruatoris verba clamantis? Rogo te pater vt vnum ſint, ſicut & nos vnum ſumus. Orat ſeruator Ieſus non ſine lachrymis & clamore valido, vt vnum ſimus, vt coadiuuemur, & mutuis nos

Iohã. 17
Hebr. 5.

tueamur officiis. Orat vt ſemel iure teſtamẽtario datam hæreditatem nõ diſsipemus, ſed arctè conſeruemus, citiùs cùm Nabotho mortem oppeti-turi, quàm nos à chriſtianæ vnitatis

3. Reg. 18. poſſeſsione auelli patiamur. Cur er-gò (ô tempora pluſquam miſera!) nõ auditur illud Apoſtoli, quod ſi inui-

Galat. 5 cem mordetis, videte ne abinuicem cõſumamini? Cur non timetur, quod futurum Chriſtus prædixit diſsidiorũ

Math. 12 amatoribus? Omne regnũ diuiſũ cõtra ſe deſolabitur. Poſſũ & ego Chriſtia-nis, quod Solõ ciuibus ſuis, dicere.

Solonis Elegia.

Hæc moneo, ciues, nec fabula ficta putanda eſt,
Leges atque Deum ſpernere, crede, nocet.

Natus eſt puer ideo, vt ſuprà relatum eſt, paucis agnoſcentibus, quò ſpecta-ret huiuſmodi ſpectaculum: multa phyſica diſputatione quæritur de ma-teriæ ſpermaticæ exuberãtia, ac in quo peccatũ fuerit in tam monſtroſa cor-poris procreatione, tam propè defor-

matis

matis multorum Christianorum moribus, etsi adsint cõcionatores pij multi, nec desint sacra fidei documenta, pauci cogitant, aut si cogitantes sint aliqui, paucissimi sunt manum addentes operi, vitiorum scilicet & tmpietatum correctionibus cõsecratam. Huius miseriæ clarum plusquã esset opus, præbuit testimoniũ schisma Benedicti decimitertij (dicti prius Petri Lunæ) quod non parũ miseriæ, morúmque corruptionis ac scandali intulit Ecclesiæ. Vbi enim de humili pietatate, piáque humilitate disceptandum erat, illic discipulorum Christi, quærentium, quis inter eos videretur esse maior, ex puteo Democritíco carnalis reducitur cõcertatio. De onere parum, multum verò ac acriter de honore disputatur. Audio Caluinistas hinc in suis confirmari impietatibus. Catholici verò nôrunt ex pastorum quantumcũnque detur-

Plat. in vitis Gregor. 12. & Alexãdri. 5

Lucæ 22

patis moribus, nunquam ouile Christi deserere. Mali enim pastores sua vita, quamtumuis pessima fuerit, Ecclesiæ præiudicio esse non possunt, aut Catholicis Christianis: vt videmus Iudæ impietatẽ nec aurhoritati suæ, quandiu vixit, nec Mathiæ succedẽti, præiudicio fuisse. Caluinistas decebat compati miseriis communibus, diligentérque curare acpersequi deprauatissimorum correctionem ac emendationem morũ. Verum Medeæ veneficæ illius miseræ, mores & cõsuetudinem (quæ sub specie renouãdæ senectutis in iuuentutem corpora occidebat) imitari maluerũt. Dilexisti malitiam super benignitatem, iniquitatẽ magis quàm loqui æquitatem, propterea Deus destruet te.

August. epistola. 165. cõtra Donatistas.

Psal.

Paulo post huius pueri natiuitatem Vuiclefuistarum impietate & errore tota fere Boëmia corrumpitur, ac propè à Sigismundo deuastatur, dilania-

tur, ac iure discerpitur fidei vnitas, omnísque quadraginta annorũ schismate misero vexatur Ecclesia, piissimi Sigismundi Imperatoris vigilantissimo labore, & eius sanctissima opera curis magna leuata ex parte. Huius enim Imperatoris quanta fuerit animi magnitudo ac pietas, nulla historiarum non testatur. Quid de te dicam charissima patria, cuius me grauiter mouent miseriæ? nónne te tunc temporis Anglorum vexabat, multis magnísque occupatis terræ tuæ partibus, cupiditas? Nónne tunc intestinis dissidiis, bellis ac perturbationibus premebaris? Et quid non arbori semel cæsæ miseriarũ accidit? Et quid nõ infortunij regno semel humiliato infligitur? His omnibus repulsãdis morbis quantum Regum Caroli Quinti, Sexti, & Septimi profuerit pietas, vigilantia, assiduúsque labor, ex Aemilio, aliísque historicis scriptu-

ribus colligi poteſt. Hoc vix vnum ſupererat emendatione dignũ, quòd Clementi ſeptimo, Roberto de Gebẽnis alio nomine dicto, contra Vrbanum vi Romanorum in papam (vt quidam tenent) creatum, conſilio ducis Galliarum Rectoris, magno Reipub. Chriſtianæ periculo fauere videretur Carolus ſextus. Rebus interea ſic diſpoſitis, qui purpuratorũ Clementem ſequebãtur, ſacris Franciæ beneficiis, vt quæ opulentiſsima erãt, nullo ſanctitatis honore habito, nulloque literarum academiæ Pariſienſis reſpectu, omnes ferè exſiccatis cupiditate faucibus inhiabãt. Et ſic mẽbra, quæ capiti vno Chriſto ſeruire debebant, diuerſimodè in verum caput, eiúſque corpus myſticum inſurgebant. Hanc calamitatem alia non leuior multò ſequitur. Nam Chriſtianis ſuis ſepultis cupiditatibus, ac penè criminibus obrutis, inſurgit barbara

Platina de vitis Pontif.

Faſcic. tempor.

Sarracenorum gens terram ac mare latrociniis, omníque ferocitate implens, Narbonensis prouinciæ maritimam oram peruolans. Sic sic profectò in dormitantem populum suũ consueuit Dominus Nabuchodonosorem aliquem, qui eum à somno veternóque excitet, prouocare. Dubiũ profectò ne nobis lethargico plusquã somno consopitis accedat teterrimus nostér Pharao Turcarũ tyrannus, semimortuam patriam ad nihilum redacturus. Vtinam hanc Gallorũ proceres proximam præuiderẽt cladem. Vtinam nostris mederemur morbis, vt pietate, vitæq́ue integritate ornati communem corporis Christi totius inimicum impauidis aggrederemur pectoribus. Verum nostrum est cum Esdra dicere. Quot casus Sion? Vides Domine, quoniam sanctificatio nostra deserta effecta est, & altare nostrum dirutum est, & templum nostrũ *Paulus Aemil. in vita Caroli 6*

destructum est, & psalteriũ nostrum humiliatũ est, & Hymnus conticuit, & exultatio nostra dissoluta est, & lumen cãdelabri nostri extinctum est, & Arca testamenti nostri direpta est, & Sancta nostra cõtaminata sunt, & nomen, quod inuocatum est surper nos, penè profanatum est: & liberi nostri contumeliam passi sunt, & Sacerdotes nostri succeſsi sunt, & Læuitæ nostri in captiuitatem abierunt, Virgines nostræ coinquinatæ sunt, & mulieres nostræ vim passæ sunt, & iusti nostri capti sunt, & paruuli nostri. perditi sunt, & iuuenes nostri seruierunt, & fortes nostri inualidi facti sunt. Et ominem maius signaculum Sion, quoniam resignata est de gloria sua. Nam tradita est in manibus eorum, quinos oderunt. Hæc Esdras quæ cum illo referre nõ sine lachrymis possumus. Quis enim est qui non hodie videat, & fortes inualidos

effectos, & iuuenes omni voluptatũ & criminum gèneri seruientes, virginitatem passim violare, ac castitatẽ aut vi, aut suasu corrumpere? Quis hoc apud nos tempore personarum, locorum, aut rerum delectus? Certè dubium ne de nobis dicatur, confusi sunt, quoniam deus spreuit eos. Non Sacerdotibus, non Leuitis, non sacris virginibus, non deo dicatis basilicis parcitur: imò ne Christo ipsi adhuc inter nos viuenti ab hæreticis (vt cũ Hilario loquar) parceretur, cùm ne sacratissimæ eius Eucharistiæ, quàm passim canibus præbent, pedibus cõculcant, aut igne comburunt, parcãt. At odium (ait Hilarius) impietatis hæretici exercent, verborũ lapides iniiciunt, si possent & throno Christum suo, in crucẽ retraherent. Hæc autem membra monstrosa ex superfluitate excrementi generari, talémque superuacaneam abundantiam ex defe- *Hilar. de Trinitate lib 6.*

Augnst. lib. de vera religione cap. 8. ctu laboris, & nimio otio, nimiáque repletione res ipsa docet. Hinc Augustinus ex his hominibus hæreticos fieri testatur, qui etiam, si essent in Ecclesia, errarent nihilominus, cùm sint superflua membra.

Videant hinc Reges & principes, quorum est corporis totius curā gerere, ac sanitatem tueri, an talium humorum generationem prohibeant, & sanitatem suorum populorum ament, infirmitatem omnem curent. Qui cū suorum, & maximè domesticorū, curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior. *1. Tim. 2* Quis enim vnquam verus pastor & dux non gregis proprij miseriis compatitur? Quis non aut ægrotātes oues sanat, aut vulneratas à lupo ligat, aut perditas quærit, & inuentas reuocat? Discant cum Iacobo Reges, principes, populorúmque præfecti testari suam probitatem non verbis, sed potius operibus. Is e-

nim Labano muneris sui rationem reddens dicere solebat. Viginti annis seruiui tibi, oues meæ & capræ steriles non fuerunt, arietes gregis tui nō comedi, nec captum à bestia ostendi tibi, ego damnum omne reddebam, quicquid furto peribat à me exigebas. Hæc vtinam salua conscientia dicere possent omnes, quibus gregis dominici curam demandatam esse nouimus, & vtinam reddendæ villicationis suæ curam Deo iustissimo iudici in memoriā sæpius reuocarent. Spei multum profectò de plusquam semiperdita salute recuperanda, membra diuisa vno capiti, & honorē & obsequium vno ore iisdémq; labiis Christo redderent, exsiccarētur tot tantáq; misera excrementa deformitatem Ecclesiæ Christi generantia, & in summa in meliùs emendarentur. Quòd si sal euanuerit, in quo salietur, ad nihilum valet vltrà, nisi vt mittatur fo-

Genes.31

ras & conculcetur ab hominibus. Sę-
piùs enim ex capite piſcis putrefactio
Diſcant ideò principes, præcipuè ve-
rò monarchæ, bene præeſſe, exemplo
& authoritatis conſeruatione virtu-
tem gregis Dominici retinentes. Nã
quid turpiùs videri poſſet, quàm eos
Iſocrat. ad Nicoclem. peſsimis criminibus maculari, quorũ
eſt aliorum vitia caſtigare & depri-
mere? Nonne hoc eſt Fullonem car-
bonarium agere? Qui ergò magnatũ
Ierem. 11 huiuſmodi eſt, audiat illud Prophetæ.
Quid eſt, quod dilectus meus, in do-
mo mea facit ſcelera multa? peſsimũ
caput fuit quondam Roboam: hunc
imitati ſunt Ieroboam & Manaſſe, ac
Ioas, ideo multas & magnas infirmi-
tates ac plagas populo ſuo inflixêre,
ſuæque ac populi ſui ruinæ prę́ſentiſ-
ſimum attulêre damnum. Contra ve-
rò quis neſcit Moſis ducatum populo
ſuas amplectenti leges fuiſſe feliciſsi-
mum? quot inimicorum clades acci-

derunt ſub piis Ioſue, Iephte, Barach, Samſone, Saule & Dauide? In ſumma qualis agricola, talis agricultura: qualis rector ciuitatis, tales inhabitãtes in ea. Caput ideo ſapientiæ pretioſo lapide, ac omnibus virtutum floribus ornatum citius multitudinẽ mẽbrorum moderabitur, quàm infatuatum ea, quæ ſimpliciter ſolida videmus vnius corporis mẽbra. Quod reuera videtur innuere Sapiẽs, cũ teſtatur meliorem eſſe puerum pauperem & ſapientem, rege ſene ac ſtulto, *Eccleſ.*
& qui neſcit præuidere in poſtremũ. *4.*
Nullum vtinam ſit caput languidũ, nullúmque cor mœrẽs, vt quæ à plãta pedis vſque ad verticem apparent cicatrices & tumentia vulnera, adhibitis vini & olei medicaminibus in ſtatum multò meliorem reducantur.

ORATIO.

BEnigniſsime & dulciſsime Ieſu, caput noſtrum adoramus, caput, inquam, corporis Ec-

lesiæ tuæ, ex quo totum corpus cõpactum per iũ-ſturas ſuas, adeo vt nihil deſit, quod ad verè myſticum corpus pertineat: reſpice tuorũ membrorum infirmitates: infirmantur multum, Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices noſtræ, à facie inſipientiæ & ſtultitiæ noſtræ: Lumbi noſtri impleti ſunt illuſionibus, & nõ eſt ſanitas in carne noſtra. Vide humilitatẽ, & afflictionem noſtram: & dimitte vniuerſa crimina noſtra. Tremunt membra tua à facie tantarum miſeriarum. Timor & tremor venerunt ſuper nos, & contexerunt nos tenebræ. Da vt te ita perfectè diligamus, vt perfecta charitas foras mittat timorem. Non enim accepimus iterum ſpiritum ſeruitutis (legalis) in timore: ſed eum qui nos faciat libera ſeruitute ſeruos, ac ſeruitute liberali liberos, hoc eſt ſpiritu Dei ſeruos, & carne Diaboli carnis & mundi liberos, nec eorum illecebris conſtrictos. Eò enim viſitâſti nos oriens ex alto, vt tibi ſeruiamus in ſanctitate & iuſtitia. Infũde ideo pectoribus noſtris tui ignẽ ſacratiſsimi amoris, accende diuini in nobis luminis flammam, vt in lumine tuo videamus lumen æternum, quod nullis tenebrarum inuolucris obſcurari, aut extingui poteſt. Quis enim mortalium viuere poſſet ſine te, cùm tu ſis author noſter, deſideriorúmque noſtrorum largitor optimus? Reſpice propitius ſuper nos, faciem tuam illumina, vt ſciamus iuſtificationes tuas. Sana animas noſtras, quia peccaui-

mus tibi. Peccauimus tibi, inquã, omnes. A plãta enim pedis vſque ad verticem nihil prorſus videtur eſſe ſanitatis: omne caput languidũ, corda omnia mœrent, omniáque membra propè arida: in ſumma tãta eſt multitudo cœcorum, claudorum, & aridorum, vt quid aliud vix videri poßit inter nos. Ingredere itaque piſcinæ catholicæ porticus, & vide, an homines habeamus, qui turbatis populorum aquis, vt ad Lauachrum pœnittentiæ prodeant, adiuuent infirmitatẽ noſtrã, nóſque in piſcinam mittant. Tu ergò adiutor & protector noſtri, adiuua nos, & libera nos propter nomen ſanctum tuum. Capita & præfectos populorum ab omni vitiorum corruptione defende, vt per eorum integritatẽ, toti corpori ſanitas ſua reſtituatur. Coadiuua membrorum omnium ſub vno eodémque capite multitudinẽ, vt destructis dißidiis omnibus, pacatíſque bellis ac tumultibus, te omnes Deum viuum, & verum mediatorem noſtrum ac propitiatorem vnanimiter amare, tibi ſeruire, téque perpetuò laudare valeamus, qui cum patre & ſpiritu ſancto viuis & regnas Deus in æternum. Amen.

De Monſtro, quod ortum habuit circa annum Domini 1495. collo & auriculis leporinis.



NOn iniuria Ieremiam vnum ex Catholicæ Ecclesiæ ſpeculatoribus peccatorem admonuiſſe legimus de futura furis aſtutia: vt quotquot propriæ ſalutis eſſent amatores, ſibi cauerent vigilantes, nec ceſſarent furenti inimico portas, feneſtras, ac rimulas omnes occludere. Intrabit mors, ait, per feneſtras. Quid, quæſo, eſt aliud mortē intrare per feneſtras, quàm Satanā ingredi pectora, & hominum animas per ſenſus externos, per viſum ſcilicet auditum, & alias

huiuſmodi humani corporis partes?
Oculorũ in Dauide adaperuit rimulam, vt videret Berſabeam, viſam cõcupiſceret, concupitam, viri Vriæ magno incommodo, vitæ nempe diſpẽdio ſibi adiũgeret. Hinc eſt, quod reuerſus ad ſe Dauid clamâſſe ad Dominum legitur. Auerte oculos meos, ne videant vanitatem, in via tua viuifica me. Eadem via ingreſſus populum dicepit Iſraëliticum, proponẽs illi Madianitas, quarum aſpectu ad fornicationem allecti, Deo iuſtè in ſua crimina irato, & vindice, victoriæ conſequutione priuarentur. Cõcluſam primis temporibus fortiùs domum fortiſsimè aggreditur: donatum enim originali iuſtitia hominem vnà cum adiutorio ſibi ſimili viſu, auditu, & guſtu, & concupiſcentia interiori ſummæ appetendæ dignitatis adiit, tentat, & tandem ſuperat, nõ ſine graui omnium noſtrum damno & peri-

2. Reg. 12.
Pſal. 113
Numer. 22. &c. 13.
Geneſ. 3.

culo. Conuenit enim viuentium ma-
trē: mox ei proponit fructus pulchri-
tudinem, eiúsque virtutem confictā:
mulier interea apertis auriū & ocu-
lorum fenestris totam subitò domū
scelestissimo latroni aperit. Quid? i-
mo se statim, diaboli arma, exhibet,
vt maritum decipiat, eúmque ac totā
futuram propaginem Satanæ prædā
obtrudere conatur. Adamus intereà
nec sibi, nec suis sapiens, molli muli-
eris delinitus ac perditè inescatus vo
cula, Dei abiecto fœdere, dedit se ca-
codæmonis vinculis constringendū,
ac perpetuis asseruandū carceribus,
nisi accessisset misericordis Dei mi-
sericors filius, qui nos sua morte tur-
pissima ad vitam honestissimam re-
uocaret. Qui stat ideo, videat ne ca-
dat, nec sit inter nos vllus, qui morte
& passione Saluatoris Iesu occlusa,
Inferni ostia criminū suorum vi cō-
fringat, sibíque adaperiat. Neminem
enim

enim noſtrum vult Chriſtus perire: omnes vult ſaluos fieri, & ad veritatis agnitionem, ſubacto omni ſubdolo mendacio, peruenire. Quis ideo noſtrum in tanta cõſtitutus neceſsitate, nõ pro viribus imitari conabitur ſerpentis calliditatem, qui nullius incãtatoris voce irritatus, nullius alioqui iniuriis laceſsitus, aut demiſſo in terrã capite, vt aures incantationi occludat, aut toto conglomerato corpore caput cirumuoluit, vt ſic vitã propriam tueatur atque defendat? Quorſum enim docuiſſet humani generis redemptor, ac eſſet adhortatus, vt ſerpentũ more prudẽtes eſſemus? Quorſum neminem verum eſſe patremfamilias, qui, cognito furis & latronis aduentu, non vigilaret aſsiduè, nec ſineret perfodi domum ſuam, quorſum, inquam, nos paratos eſſe tam viuaciter adhortaretur? hæc moneo, lectores, nec fabula fictitia putanda,

Pſal. 57.

Math. 10.

Luca. 12.

ſpreuiſſe tāta monita non poterit nō eſſe periculoſum, ac damnoſum. Cō-fidite in Domino, ait Ioſaphat, & ſe-curi eritis, credite Prophetis eius, & omnia proſpera euenient vobis. Quid enim aliquādo proderit fuiſſe Chriſ-tianum & Chriſtiana ſpreuiſſe opera? Nihil prodeſt, (ait Seneca) didiciſſe, ſi ceſſes benefacere: &, vt cum Apoſto-lo Petro loquar, melius erat non co-gnouiſſe Deum, quàm poſt agnitio-nem reuerti ab eo, quod traditum eſt, ſancto mandato. Qualem ideo in æ-groto iudicaremus medicinæ cogni-tionem, quam regiminis, ſimpliciúm-que omnium ac ordinationum con-temptus ſequitur? certè vanā, & ægro prorſus inutilē. Idipſum de ſe Chriſ-tiani contemptores iudicent: quibus nec præſentaneis ſanandis, nec futu-ris præcauendis morbis defuerūt vn-quā remedia: qui vocati ad pœniten-tiam renuunt, extenſámque diuinæ

2 Paralip. 20.

Seneca apophtegm. 6.

clementiæ palmam ne aſpicere quidem multi dignãtur. Prædixerat inquam Apoſtolus futuros, qui exacerbarent ſibi magiſtros prurientes auribus, à veritate auditum auertentes ad fabulas conuerſuri. Quod futurũ Apoſtolus prædixerat, hoc monſtri natiuitas, quod circa annum Domini 1465 ortũ habuit, quaſi digito proximum commõſtrauit. Cuius, inquã, monſtri talem Lycoſthenes mentionem facit. Mulier quædam, ait, in ſuburbana villa, cuius nomẽ Nigræ eſt, ad 12. Cal. Nouemb. monſtrum edidit, cætera quidem membra humana figura, ſed collo & auribus leporinis, & vno gaandiore inteſtino totũ vẽtrẽ occupante, rictu ſpirans. Hoc anno Fridericus Imperator obiit cum Turcis, immaniter conflictum ſemel atque iterum graſſantibus. Cracouia horrẽdo Vulcani incẽdio conſũpta. Tartari multa loca depopulati ſunt.

2. Timo. 4.

Licoſthenis de prodig. & oſtẽtis.

Ecce quot & quibus cõmonitionib⁹ conatur Deus filiorũ & facturæ suæ amator, miserum hominem à malo sibi paratissimo abducere. Videbat homines in lepores paucis diebus commutãdos, eorúmque magna ex parte mores humanissimos in effrænatam malitiam conuertendos, & ideo scripturarum sacrarũ præceptoribus multis docentibus eos reuocare conatur. At nihil obstitit, quò minùs in extremam miseriam inciderint. Verùm qualis fuerit, ac nunc sit, hominum pessima illa commutatio ex leporum natura paucis exposita videre non erit superuacaneum. Primò lepus animal est, cuius maximus in frigidis nationibus prouentus spectatur, Holao Magno Gottho teste. Lepores auersi coëunt (ait Aristoteles) retróque vrinam reddunt, singulísque mensibus generant: sed fœtus edunt, quanquã

Olaus Magnus Gotthus de animalibus lib. 18. cap. 10.

Arist. de historia animalium lib. 6. cap. 33.

non vniuerſos. Ex Ambroſio colligi poteſt & ex Ariſtotele lepores hyeme albeſcere, & æſtate in priſtinum redire colorem. Cerisſimum autem eſt ex Holao magno Aquilonares frigorum & niuium temporibus candidũ, griſeo depoſito, induere pilum. Huius quidem mutationis rationes multas à Philoſophis adduci, ex Alberto perſpicuum eſt. Nollem ego profectò inficiari aut ex aëris intemperie, aut cutis imbecillitate, aut quadam alia infirmitate, ſiue cæli ſtatu ſitu terrarũ, locorum, ſeu ciborum variis & ad id propriis, qualitatibus, talem coloris in pilo inuerſionem fieri. Hoc vnum duntaxat teneo firmiter, & ciborum genera omnia, & locorum, & infirmitatum, & qualitatum Deo ſuo factori ſubiici, ac ne minimũ quidem omniũ eſſe, quo non quotidie benigniſſimus Deus ac propitius vtatur, vt nos vndique à terrenis cogitationibus ad

Ambr. lib. 5. examerõ. cap. 23.

Ex Ariſtotele ſub finẽ libri de colorib.

Albert⁹ de animalibus lib. 19.

ſe reuocet, & reducat. Sic enim gelu, frigus, nix, glacies, rores & pruina, ignis & æſtus, ſic in ſumma benedicunt omnia opera Domini Domino, laudant & ſuperexaltant eum in ſecula. At nos omnium contemplatione benedicamus patrem & filium cũ ſancto ſpiritu, laudemus & ſuperexaltemus eum in ſecula. Colligamus ergò (vt ex terræ venis aurũ igne probandum & expurgandum colligitur) ex harum terrenarum rerũ conſideratione aliquid, quod nec Dei verbo, nec patrum ſententiis, nec catholicæ authoritati Eccleſiæ aduerſetur. Talem enim eſſe oportet infimi huius ſeculi, & omnium, quæ illius ambitu continẽtur, perſpectionem, vt ea qua decet prudentia res omnes inferiores ad ſummam arcem reducantur. Accedamus ergò ad mõſtri (ſi quæ fuiſſe credendæ ſint) ſignificationes, ſeu præmonitiones. Primò notandum eſt

illius natiuitatem vix Lutheri (cuius opus infinita mõstrorum multitudine præmõstratum fuit) annis 22 præcesſit aduentum. Is enim anno 1517. cœpit tenebrarum ſuarum effundere nebulas. Et quorſum per eum ſpectabat Satanæ iudicium, niſi vt ex hominibus bruta conficeret, ex fidelibus infideles, ex piis impios, & ex impiis impiiſsimos procrearet? O ingentem miſeriã & hominum cœcitatem! Egreditur Satanæ præcurſor, inuiſam inauditámque paucis, ipſiſsimiſque, magna ex parte, concionatoribus, ac gregis Dominici fidis canibus, ex aduerſo clamitantibus, propalat impietatèm. Conſul (vt cum Cicerone loquar) videt, Senatus intelligit, & hic viuit. viuit? imo conſiliorum fit, & fauorum magnatum particeps? A multis, quorum erat eius furorem & cohibere, & prorſus extinguere, vtríſq; vlnis admittitur, & ab eorum, quorũ

eò inhiabat totus animus, vt miſerum obortum mõſtrum protinus ſuffocarent, liberatur manibus, non auditur illud Propheticum. Impio præbes auxilium, & iis, qui oderunt Dominum, amicitia iungeris? idcirco iram Domini mereris. Vbi enim ipſiſsima facta reclamant, quid verbis opus eſt? Incipiebant profectò tunc temporis homines leporinas aures habere, &, vt veriùs dicã, in lepores mutari. Statim enim vbi auditum fuit, Lutherum fuiſſe, qui rem & doctrinam nouam in medium produceret, magna Germanorum pars, contempto aquæ viuentis fonte, Aegypti ſitit aquam turbidam. Leporum arriguntur auriculæ, & aduerſo Dei verbo, audiuntur ſomnia Lutheri, & pro puro ac ſynceriſsimo Dei verbo, ſpreta doctrina vniuerſali & catholica, à multis accipiuntur. Tunc incipiebat charitatis calor tepeſieri & frigeſcere, & in tan-

2. Paralip. 19.

to frigore ortum habuit in multis pilorum griſeus color, in album commutatio. Hinc ille præpoſterus fœtus procreandi vſus. Eo enim tēpore Germani, & Franci immutârunt naturalem viuendi ritum in eum, qui eſt cōtra naturam. Tunc cœpit proximi & propinqui dilaniandi & deuorandi vſus: nemo non complicans manus eo ex tempore cœpit comedere carnes ſuas. Inſurgunt ſtatim ciuitates in ciuitates, ciues in conciues, amici in amicos, cœlum terræ, terráque cœlo miſcetur: tunc confuſi viuunt homines, quia primò ſpretus peccatorū eorum vltor iuſtiſsimus Deus ſpreuit eos. Hinc cœpit tertium hominum genus leporum naturam cōſeruans, nempe Polyticorum, quibus quoquò ſe vertant negotia, nihil curant, modò viuant, ſuíſque fruantur cupiditatibus. Hi æſtate griſei, & hyeme algore albi apparent, & ſunt adeo, vt cum

Polytic. origo & natura noſtror.

illo Terentiano Gnatone semper parati sint dicere, *aiunt, aio, negăt, nego, affirmant, affirmo*. Vrgente enim Catholica nulla istiusmodi hominibus aquæ lustralis quantitas sufficere potest: nulla non corporis parte sese crucis signaculo obsignant: aut si sacris interfuerint, nulli hominum pectora fortiùs tundere videntur, nihilominus tamē hæreticis ipsissimis deteriores Catholicos inter: nec puto eos meliori sub categoria haberi inter hæreticos, cùm neque hæretici, neque catholici sint: sed inter vtrúmque volantes, vtràmque prodere partē paratissimi. Et quale hominum genus hoc deterius esse potest? Si neque hæresis tutores, neque expugnatores videri volūt Christiani dici cupiūt, nec audiūt cla-
Lucæ.11. mātē Christū. Qui nō est mecū, cōtra me est: & qui nō colligit mecū, dispergit. Quis enim meritò terrenæ legis seruus dici meretur, nisi illius iura &

tueatur, ac pro viribus defendat? Nõne potius amicus mensæ, non permanens in die tribulationis, censebitur? Polyticos olim fuisse habitatores Iabes Galaad ex libro Iudicũ colligi potest. Hi enim cùm de Beniaminitarum, omniũ tribuum Israël consensu, expugnatione ageretur, neutram partem sequentes, hanc sua magna iactura polyticam simultatem amplexi sunt. His in suo genere successêre Samaritani sub Aha rege Iuda, & Ica rege Samariæ. Illis enim temporibus vastata à Rege Assyriorum Samaria, immissi sunt à Vastatore ex Assyriis populi, qui terram occuparẽt, & excolerent, iis cùm Deus immisisset leones, qui eos interficerẽt, timore perculsi miserunt ad Regem, vt sibi daret Iudæorum sacerdotem, á quo ad legitima legis instituerentur, & sic Deo Israelis pacato, liberarentur à leonũ persequutionibus, vt accidisse

Iudicum 21.

4 Reg. 17.

cōſtat. Illi ideo ſeruabāt ritus, & legis cæremonias, Leonū metu nihilomin⁹ tamen & Diis ſuis ſeruiebāt. Vtinam non tāta inter nos eſſet Samaritanorū & polyticorū multitudo. Vtinam (inquam) omnes vno, eodémque conſēſu in ſanctitate & iuſtitia ſeruiremus

Lucæ.1. Deo viuēti omnibus diebus noſtris. Tantæ enim ſimulationis nō poteſt, quocúnque vergant negotia, finis nō eſſe funeſtiſsimus. Scriptum enim eſt,

Matth. 7. nemo poteſt duobus Dominis ſeruire. Adde quod lege vetitum erat, ne quis veſte ex lana, linóque contexta

Deut:22 vteretur. Et quorſū clamâſſet Sapiēs, væ duplici corde, & labiis ſceleſtis, & manibus malefacientibus, & pecca-

Eccleſ. 2. tori terram ingredienti duabus viis? Timendum certè, ne maledictio hu-

Aeſopi fabula. iuſmodi eandem polyticis cum Aeſopico mixto capillo adferat vltionem. Is enim cùm duab⁹ amicis vti vellet, annoſa altera, & altera iuuene, hanc

ſibi nigros pilos, & alterā canos radicitus euulſiſſe ferunt, donec amans miſerrimus totus glaber, & capite depilis remanſerit. Iure ideo qui parti vtrique fraudem facit, partis vtriúſque iuiurias meretur perpeti. Sic ſæpè Deus comprehendit ſapientes in aſtutia ſua, ne quis putet eſſe ſapientiā, aut prudeutiā, fortitudinem, aut conſilium, contra Dominum. Hinc veriſsimū ſæpius experimur illud Plautinū, qui cauet ne decipiatur, vix cauet, cum etiam cauet. Etiam cum cauiſſe ratus eſt, ſæpe is cautor captus eſt. Quod ſi quæramus, vnde id monſtroſi morbi ortum habuerit, ſtatim reſpondebitur, ex monſtroſa aurium elatione. Nam cùm ſolius hominis ſit (teſte Ariſtotele) aurē nō mouere, nō debebat homo, cuius erat nullis ventorum turbinibus à fidei vnitate dimoueri, aures omnibus præbere conſiliis. At quia aurium motu curioſa

1. Cor. 1.

Plautus in captiuus.

Ariſt. de hiſt. animal. lib. 1. cap. 11.

ſectatus, ideo omni vento doctrinæ, omnibúſque loquacibus hominibus vtrámque accommodare aurem voluit: atqueadhuc adeo auditu allicitur, vt penitus nihil differre multi videãtur à Caprarum natura, quas ſpirare per aures Alcmæon credidit, vt refert Ariſtoteles. Et quid aliud hodie aut credit, aut agit hæreticus, fingit, aut ſimulat polyticus, niſi quod ſibi multorum ſermonum lenocinio perſuadetur? Quibus omnibus vtinam naſcerentur aut leporinæ aures tintinnabulis (Morionum more) inſtructæ, aut caprinæ, vt eos ferarum iſtiuſmodi naturâ imitari perſpicimus. O mores omniũ, quos priſca vidit ætas, quóſque viſura eſt poſtera, corruptiſsimi! O tẽpora magis ac magis nefaſta atque execranda! Quis nos ſeparabit à ſeculo mortis huius? Quis nobis tantam hypocriſim, Galliæ noſtræ ruinã minitantem, Apollo (ſi Chriſtianum

Pſal. 7.

ita loqui liceat) palam & publicè patefaciet, nisi summus ille renum scrutator & cordium? Is (inquam) qui nō ab externis iudicat, & qui solus intuetur cor? Is profectò qui mōstrosa hac pueri natiuitate, & intestini in illo magnitudine, præmōstrabat hanc aurium immutationem vētris voluptatibus fore iungendam, vt contigisse perspicimus. Nam si quærantur & hereticorum, & polyticorum fundamēta omniũ, statim constabit ea aut voluptatis, aut carnis libertatem esse: aut ambitionem, aut omne criminũ genus. Et quis est, qui nesciat magnam hominum huiusmodi partem magis, vt suos tueatur quisque affectus, disputare, quàm vt aut Dei laudem & honorē quærat, aut quid aliud, quod ad publicam spectet vtilitatem aucupetur? De lana caprina arctiùs discepta tur, quàm de enutrienda capella. Et vt seruorum Loth rixæ, fœnum &

1. *Reg.* 15.

Ierem. 10.

Genes. 14.

paſcua magis, quàm aliud quiduis habuerunt pro fundamento, ita iſti boni (ſi Diis placeat) fideles, à Hieronymo præſcriptam regulam (circa hæreſum fundamenta) accuratè ſeruare agnoſcuntur. Nulla enim (ait Hieronymus) hæreſis, niſi propter gulam, ventrémque conſtruitur. Statuatur ideo hoc in ſumma, aurium Leporinarum leuitate & inteſtinorum magnitudine, hoc eſt, voluptate duce, magnam hominũ partem aut in polyticā ſimulationē, aut in ipſam hæreſim demergi. Verũ quid prodeſt homini ſi vniuerſũ mũdum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Vel, quam dabit homo commutationem cum anima ſua? Si enim non condignæ ſunt paſſiones huius temporis ad futurā gloriam, quæ reuelabitur in nobis, quis, quæſo, analogiam vllam aut proportionem conſtituere poterit inter huius miſerrimi ſeculi & futuri gloriam,

Hieronymus in Iere. cap. 3.

Matth. 16.

Luca 9.

Rom. 8.

Galat. 3.

& requiem? O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinauit non obedire veritati? Quis, quæſo te patria chariſsima, in tantam deduxit calamitatem, vt magna ex parte leporinis ornata videaris auribus, incõſtantia omni circundata, voluptate ſemiſepulta, & criminum ingenti põdere & mole oppreſſa? Surge, illuminare, quia aduenit lumen tuum, & gloria Domini ante annos 1000. ſuper te orta. Caue ne tenebræ operiant terram tuam, & caligo tuos inuolat populos. Agnoſce ſuper te iam ortũ habuiſſe ſolẽ iuſtitiæ, Dominum, illiúſque gloriam in te viſam, & omnium conſenſu nationum recognitã. Cur noctis quæ præceſſerunt tempora, iterata tui cordis duritia redire compellet? Memento vnde excideris, & prima fac opera, alioquin honorificum tibi à Chriſto datum locum amiſſura. Num vides idipſum vltionis genus aliis eodem Eſaia. 60.

notatis crimine nationibus inflictum fuisse? Vbi nunc Iudæorum vetustissimus splendor? Vbi eorum felicitas? Vbi Græcorum decor, quo ab Apostolo vsque ad Arrij tempora ornati incedebãt? Vbi eorum fidei synceritas, erga religionem ardor inextinguibilis? Vbi Africanorum grauis & pia nunc dicacitas? Hi omnes eodem perculsi, quo nunc tu, morbo, subitam ac miserabilem perpeßi sunt euersionẽ. Quòd si non te tam longinqua mouere possunt exempla, non te pigeat contemplari Germanorum, Scotorũ, & Anglorum confusionẽ, non aliũde, quàm ex aurium leuitate, & voluptatis radice, obortam. Tua profectò res agitur, paries cũ proximus ardet. Cura ideo, vt aliorum pericula te & cautiorem, & meliorem reddant. Putabat his postremis diebus hæreticus vi & armis fidem catholicam, quæ insuperabilis est, euerti posse, vt illius lo-

co suam suffectam videret impietatẽ, dicturus, manus nostra excelsa. Putabant & ex Catholicis multi, in proximum ruituram hæresim, & iam de vitæ luxu quamplurimi cogitabãt, paucis intereà morum & criminum emẽdationem curantibus. Verùm Deus iudex iustus, fortis & patiens, omnes tantas expectationes suo priuauit fine, vt omnes ad pœnitentiam reduceret, & vt ex pessimis hæreticis boni efficerentur catholici, & vt mali catholici in optimos verterẽtur. Vsquequo ideo dormis piger? Est enim hora, aut futura nunquam, vt à somno expergiscamur. Abiiciamus ergò opera tenebrarum, & induamus arma honestæ lucis, tãquã in die ãbulaturi.

Deut. 32.

Psal. 7.

Prouer. 6.

ORATIO.

Domine Iesu Christe fili Dei viui, qui hanc humilem naturæ humanæ vestem induere non es dedignatus, quíque è paternis ad nos veniens sedibus, & mutorum linguam dissoluisti, surdorúmque aures misericorditer reserâsti, vt te

Esai. 61

Matt. 11

omnes audiant, & , iuxta paternæ voluntatis le-
Matt.17 gem præscriptam, te intelligentes, nomen sanctũ
Psal.21. tuum annuncient fratribus, téque in medio Ca-
tholicæ congregationis ecclesiasticæ glorificent.
Psal. Auditam fac nobis mane misericordiam tuam,
142. quia in te sperauimus: vt abiecta omni aurium, cordis, & corporis inconstãtia, & leuitate, suffocato carnis & sanguinis aculeo, quo piæ propé infinitæ piorum diuexãtur animæ, omnes vno ore & eodem consensu audiamus quid loquatur Dominus Deus loquens pacem in plebem suam, & super sanctos suos, & ad omnes qui conuertuntur
Psal.48 ad cor. Circuncidantur carnalium & aures, & corda. Omnes, abiectis propriis & priuatis cõmodis, quæ nos sæpiùs à te distrahunt & auocant, quæ tua sunt, Christe Iesu Benignißime, quæramus: te quærentes inueniamus propitiũ: inuentum nunquam deserturi teneamus, téque hîc & in futuro seculo tenentes perpetuò magnitudinẽ tuam laudare mereamur, Saluator mundi, qui cum patre & spiritu sancto viuis & regnas in secula seculorum, Amen.

De Monstro Romæ in amne Tyberino anno salutis 1496 inuẽto, quod corpore humano squamoso, & capite asinino, ac alia membrorũ varietate constabat.



EAM constituit seruator generis humani differentiam inter seruũ & liberũ, quòd hunc non lateat Domini sui voluntas: alter verò quid faciat Domin⁹ ei⁹, nesciat. Quã vtinã differẽtiã maxima mortaliũ pars accuratè notaret. Hinc enim promptum esset diiudicare, & reproborũ catalogo adscribendos, & eos, qui nõ accepto spiritu, iterum seruitutis in timore, sed potius eo donati spiritu, qui testimonium perhibet conscientiæ filiorum Dei, assiduè inuigilant, vt ea, *Ioãn. 15*

quæ paternis recesſibus quaſi arcana
filiis duntaxat propalanda, quæq́ue
eos ſcire conueniat(multa enim eſſe,
in quibus ſit conſtituta aliqua docta
ignorantia,nemo negabit) diligen-
ter ac ſedulo à patre percontantur,tā-
diu humilibus precibus aures com-
pellantes paternas,donec exauditi id
agnoſcant,quod ſibi cognitu vtile &
neceſsarium fuerit. Sic enim prudē-
ter quæſiuit Abrahā, ſtatim ex quo
admonitus fuit de Sodomorū & Go-
Geneſ. 18. morræorum vltione, an quibuſdam
piis,inter impios cōnumeratis, largi-
turus eſſet Deus omnibus miſericor-
diā. Hanc voluntatis diuinæ cogni-
tionem varij variis ex partibus, diuer-
ſiſque vſi mediis inueſtigârunt. Per-
Ionæ. 1. turbatum vidit Ionas mare, agitatā-
q́ue maris fluctibus cōſpexit nauem,
ſe,ſuóſque ad naufragium paratiſsi-
mum proximos agnouit. Is interea
non ſeruum, ſed liberum, agit, nec

ſuam, ſed Domini voluntatem requirit, fatetur crimen, ac ſua culpa accidiſſe tempeſtatem non negat: ſed potius ſeſe maris inuoluẽdum fluctibus in proprij criminis vltionem offert. Habuit ideo maris turbationem teſtẽ diuinæ in ſe accuſationis: habuit (inquã) & amplexus eſt. Hinc eſt quod Cœti viſceribus incluſus miſericordiam conſequutus eſt, & tanto è periculo liberationem. O têrq; quatérque beati, qui diuina ſcrutantur teſtimonia, vt ambulent in lege Domini, vt immaculati in viis ſuis ac felices eſſe valeant. Vt ex aduerſo millies pluſquam infelices cenſendi ſunt, quotquot criminum ſuorũ, accuſantibus ſpretis ſibi diuinitus immiſsis teſtib9, gradiũtur per vias non bonas, & poſt cogitationes ſuas. Tales fuiſſe homines, qui Noë patriarchæ tempotibus omni ſpreta commonitione plantantes, nubentes, ædificantes, inopinatè

Pſal. 118.

Eſai. 65

extremis obsessi miseriis perierunt. Non ideo iniuria dictum est eum inuenire, qui quærit, accipere, qui petit, & pulsanti aperiri. Si enim ingratitudinis eum arguendũ arbitramur, qui ne pulsare quidem, vt sibi aperiatur, dignatur, quales, quantíque reos criminis eos iudicabimus, qui ne pulsantem quidem Deum, ac de nostra salute sollicitum, audire, vt illi cordis obstacula reserent, curant, aut dignãtur? Quod ingratitudinis genus vnde clariùs conspici posit, quàm ex contempta præsentis monstri natiuitate, profectò non video. Quale itaque monstrum fuerit, primò videamus, dicturi postea de illius significationibus, aut (vt veriùs dicam) commonitionibus, quibus quasi digito monstrabatur regnum Satanæ proximum, illiúsque varium ac perhorrendum compositũ corpus. Romæ in amne Tyberino anno Domini 1496. inuentum fuisse

monſtrum humano corpore,& capite aſinino,cuius manus vna humana,altera vero Elephantino pedi ſimilis erat, teſtatur Lycoſthenes. Pedū mõſtri huius alter aquilinos vngues, alter calceum corneum bouinum exprimebat: ventrem habuit fœmineū, mammis egregiè ornatum:totum autem corpus ſquamis vndiquaque obductum erat, excepto vẽtre ac pectore:circa poſteriora habẽs caput ſenile barbatū, & aliud præterea inſtar Draconis flammas euomentis. Hæc Licoſtenes de perhorrendi monſtri huius, ſi quod vnquam horrendū fuiſſe cõſtet, inuentione tradit. Eſt autem notatu digniſsimum quod, eo tempore, quo iam parabantur, aut ſaltem parari incipiebant, varia membra, ex quibus conficeretur corpus hoc, quod ex variis compoſitum hæreticis noſtrïs temporibus videmus, diuina non eſt dedignata clementia hanc proximã *Licoſt. de prodigiis.*

calamitatem huius natiuitate mõstri, quasi tabella, conspiciendam proponere. Quæ enim monstri huius pars esse potest, quam si diligēter excutiamus, non in hac confusa & miscellanea turba non integrè & perfectè inueniamus? Excutiamꝰ partes singulas & in hoc naturæ peccato & hæreticorum crimina, & peccata nostra contemplemur, non superstitiosè, non vanè, non quasi aliquid proprietatis diuinæ aut virtutis, huic teterrimo monstro tribuentes, sed potius diuinam, in illius aparitione, clementiam spectantes, qua, tot modis ad prauitatis nostræ cognitionem excitamur, Deus à iuuētute nostra docuisti nos, ideo in perpetuum narrabimus mirabilia tua.

Arist. lib. 2. de generatione animaliũ cap. 6.

Caput ideo asininũ huius monstri erat, quod animal cùm sit frigidissmũ, extrema premitur pigritia. Frigidum autē adeò est, vt illius semē præmis-

ſum nullius acceſsione virtutem generandi amittat. Illius contrà ſuperueniens aliorum impedit naturã & effectum. Quid enim frigidius eſſe potuit, aut quid magis pigrum Luthero, ſuiſque ſucceſſoribus? Vbi enim magis frigefacta charitas? vnde quæſo bellorum prodière ſemina, ſi non ex illius, aſſeclarúmque ſuorum officina? hoc non latuiſſe Eraſmum illius commonſtrat ad Lutherum Epiſtola: qua eum egregiè ſuis depingit coloribus, prædicens ſua culpa futurã ne dum Germaniæ, ſed & multorum regnorum euaſtationẽ. Friguiſſe ſũmopere charitatem inter hæreticos non ſolùm Galliæ templorum direptiones, vrbes ſpoliatæ, venditi homines alij, alij dilaniati, & crudeliſsima carnificina trucidati, teſtes erunt perpetuo clariſsimi. Vnum dicam præ cæteris memorabile, me non latere inter eos filios adeſſe truces adeo, ac

immanes in parentes, vt eos facultatibus omnibus ſpoliatos, ac propè fame pereuntes ne iuuare, imò ne conſpicere quidem extremis oculorũ angulis dignentur: nec defuturos ex iis permultos, qui mortis parentũ coram Deo rei videãtur, & ſint. Hoccine eſt Christianè Euangelium profiteri? hypocritæ, cur propter traditiones veſtras frangitis traditionem Dei? Surgat aliquando Cimon Athenienſis in iudicium aduerſus generationem iſtam peſsimã. Is enim, vt patrem perpetuis eriperet carceribus, proprium collum cathenæ perpetuæ ſubiecit. Iſti verò Christianæ pluſquam reformationis profeſſores, nec patriæ, nec amicis, nec ipſis parẽtibus, vt ſuas expleant cupiditates, paganis omnibus deteriores effecti, parcunt aut condonant. Generatio, quæ non direxit cor ſuum, & non eſt creditus cum Deo ſpiritus eius. Generatio praua, & ex-

Mat.15.

Val. Max. de fileorũ in parẽtũ pietate.

Pſal.77

aſperans. Tantæ ideo impietatis fomentum hæreſis miſera præſtitit. Fidei enim ſemel dirupto vinculo, vix humanus vllus conſiſtere poteſt cõiunctus: diſsipatur omnis ac deſtruitur neceſsitudo. Hinc eſt quod ſeruator non modò falſorũ Prophetarum aduentum prædixit, ſed ſtatim addidit bella, ſeditiones, regnorum in regna, & ciuitatum in ciuitates, ac parentum in parentes, diſsidia. Deus bone, quàm diligenter conſeruanda erat illa præmonitio, qua hoc miſerrimum noſtrum ſeculum cognoſci poterat, cuius virtute tot aduerſus mala noſtra præmunienda erant pectora. Verùm ſurdis cantatum eſt, & in impietate ſecuritatem conſtituentibus multis lamentatum eſt. Pauci enim audire Dei verbum dignãtur, & auditum paucißimi retinent & conſeruant. Quid mirum, ſi tot opprimamur calamitatibus & miſeriis? miſericor-

Matth. 24.

diæ sanè Domini, quia nō sumus cō-sumpti in tanta cordium prauitate & nequitia. Intelligite hæc insipientes in populo, & stultitiæ sectatores: incipite aliquando sapere, quousque misera torpedine à vitæ pessimæ retrahemur emēdatione. Quid procrastinatione opus est?

Ouid. de remed. lib. 1.

Qui non est hodie, cras minùs aptus erit.

Galat. 6

Dum ergo tempus habemus, operemur bonum.

Coniiciamus ergò tantam Asini experti frigiditatem, quanti venditum sit in Galliis asininū caput, & quemadmodum sit maior Gallorum fames, quàm olim Samariæ famem fuisse ex sacris liquet voluminibus. Illi caput tale octoginta nūmis argenteis venditum carum putabant: quanti autem vendita talia nobis sint capita, quis æquus arithmeticus numerare poterit? Cōmemorabile præterea illud est, quod cùm asininum semen sua frigi-

4. Regum. 6.

ditate alia corrumpat, nihilominus tamen illud, alio ſuperueniēte ſemine, ſuam proprietatem generandi retinet & conſeruat, vt & nos videmus ſemen Chriſti, quod eſt Euangelicum verbum, hæretica ſuperueniente doctrina aut ſuffocari, aut prorſus eradicari: ſemel verò iniectum hæreticæ prauitatis hominum cordibus ſemen, vix extingui poſſe. Id enim expreſsiſſe Apoſtolum conſtat, dicendo: ſermo hæreticorum vt Cancer ſerpit: &, vt faciliùs ex puriſsimo vino fit acetum, quàm ex aceto vinũ, ita faciliùs multò ex verè Chriſtiano fit hæreticus, quàm ex hæretico Chriſtianus. Hinc eſt quod imprimis vetat Tertulianus. ne quis cũ hæreticis de ſcripturis ſacris diſputare audeat, innuēs & quàm ægrè ad reſipiſcentiam trahantur, & quanto cum periculo cum illis diſceptetur. Laterem enim lauat, qui cum hæretico diſputat, & quomodo (ait

Tertul. de præſcriptionibus aduerſus hæreticos.

Hieronymus) fructificare possuntin Christo hæretici, in quo nõ sunt per charitatem radicati, & fundati? Hoc interea inter mortales & futurum, & proximum mõstrare videbatur monstri huius natiuitas,seu inuẽtio, cuius cæteræ corporis partes partim ferinã, & partim humanam figuram habebant. Cuius vterus muliebris, ac magna corporis pars squamis sese inuicem tegentibus operta erat: vt etiam cò iam incipiebant cadere hominum mores, vt magis ferarum, quàm hominũ, qualitatibus multi induti cernerentur. Quæ non aquilinæ vngues latrociniis & rapinis deditæ? Quæ nõ bouinæ plusquam voluptates? Quæ non muliebres libidines à multis excoluntur? Quis nescit Adamitarum incaluisse impietates, qui nudi comitia sua nocturna explendis suis luxuriis celebrabant, ac formicationes & turpidines exercebant suas? Ambitio enim

Hiero. in cap. 9. Osea.

..,luxus,& commoda vitæ dissi-
..io ea ex tẽpestate hominibus mã-
mas præbuerunt: tunc, vt cum Pro-
pheta loquar, Lamiæ inter Germanos
lactare cœperunt catulos suos, quorũ
postea ministerio paruuli deuorarẽ- *Thren. 4.*
tur. Ibi, ait Esaias, cubauit Lamia, & *Esaiæ.*
inuenit sibi requiem. Et quæ furiarũ 34.
cum suis carnalium voluptatum mã-
mis non omne impietatis genus in *Prouer. 9.*
nos distrinxit? Quæ illarum nõ aquas
furtiuas, velut dulciores, & panem
absconditum falsorum dogmatum, ac
suauiorem, eneruatis hominibus pro-
tulit? Prodière, quorum incuria ipsi
viderint, Lamiæ, vt paulatim edere-
tur monstrum, quod nos hodie tan-
topere torquet. Cogor itaque inuitus
cum poëta exclamare.

O quisquis volet impias *Horat.*
Cædes, aut rabiem tollere ciuicam, *Oda 24*
Si quærit pater vrbium *lib. 3.*
Subscribi statuis, indomitam audeat
Refrænare licentiam.

Hoc quicquid est consilij amp
ctantur, sibique caueant Christiani
ne Lamiarum hodiernarum rapiantur illecebris, earúmque illecti titillationibus, inextricabilibus obuoluantur labyrinthis. Habuisse præterea tẽporis illius monstrum pedes, alterum aquilinum, & alterum, bouinum, & manus, alteram humanam & Elephãtinam alteram, vt hominũ huiusmodi & gressus, & actiones plus brutorũ saperent, quàm hominum mores, certum est. Hi enim quæcúnque ignorant, blasphemant: quæ autem naturaliter, tanquam muta animalia, nôrunt, in his corrumpuntur. Corrupti sunt & abhominabiles facti in studiis suis. Hi sunt, in quorũ manibus iniquitates sunt: quorum pedes veloces ad effundendum sanguinem: pedes quorum (inquam) ad malum currũt. Contritio & infelicitas in viis eorum: viam pacis non cognouerunt, nõ est

Iudæ Canonica.
Psal. 13.
Psal. 25.
Psal. 13.

Dei ante oculos eorum. Hi de- Psal.54
ut Christi plebem, sicut escam pa
. Præcipita ideo Domine, & diui-
e eloquia eorum, quoniam visa est
iniquitas & contradictio in congre-
gatione eorum. Tota die circūdabat
super muros illius iniquitas, nec defe-
cit de plateis suis vsura & dolus. Quo-
usque obdormies Domine?

Nunc ad postrema mōstri enuclean-
anda accedamus. Squamosum fuisse
magna corporis parte constat. Et quis
negare poterit hoc esse corporis Sa-
tanitici indumentum? Satan enim cū
vera vnitate indaere sua non valeat
membra, vellicat vndique squamas,
& ex his suum corpus nedum tegit,
sed & aduersus vnitatis Catholicæ in-
sultus armat. Hoc ex Iob scriptis lu-
ce clarius constat. Is de Diaboli &
mēbrorū illius ornatu loquens, sic ha
bet. Rex est super omnes filios super-
biæ, ait, quis reuelabit faciem indu-

Iob. 41. menti eius? Corpus illius, quaſi ſc
fuſilia, compactum ſquamis ſe mutu
prementibus: vna vni coniungitur,
& ne ſpiraculum quidem incedit per
eas: vna alteri adhærebit, & tenentes
Bernardus ſermone de Aſſumptione. ſe nequaquam ſeparabũtur. Hæc eſt
profectò ea, quam Bernardus vocat
facinoroſorum vnitatẽ, de qua ſcri-
ptum eſt. Aſtiterunt Reges terræ, &
Pſal. 2. principes conuenerunt in vnum ad-
uerſus Dominum, & aduerſus Chri-
ſtum eius. Hæc impiorum comitia, &
hãc eſſe hæreticorum impiam vnita-
tem, ſeu potius συνωμοσίαν, hoc eſt cõ-
iurationem pluſquam Catilinariam
Hiero. ad Riparium epiſto. (vt cum Hieronymo loquar) claret.
Hac enim inter ſe coniuncti, & quaſi
ſquamis ſeſe mutuò prementibus, te-
cti, debellare conantur glorioſum ac
ſacrum Chriſti regnum. Hinc illæ,
quas ſingulis annis publicis comitiis
Hæreticorum fœdera. Germani renouant, confœderatio-
nes: nunc ex Heluetiis quidam cum

canis mutuo fœdere coniũgũ-
nunc ex Gallia noſtra quoſdam
falſis ad ſe trahunt pollicitationibus.
Hæretici in ſũma quod de animorũ
in vnum conciliatione, ac mutuis in-
eundis coniunctionibus pios catho-
licos facere decebat, hoc illi dextrè
non ſine maxima ſedulitate, impiè ta-
men, perficere conãtur. Pudeat ideo
eos, qui cùm catholici videri velint,
nihil tamen præter frigidum nomen
ſe habere actibus probãt. Catholi-
cum ne eſſe poteſt, cum propriæ Ec- *Catho-*
cleſiæ membris bella & diſsidia, non *licorum*
ſine graui reipublicæ iactura, fouere? *diſsidia.*
Priuatos ſuos honores, priuatáque cõ
moda publicæ ſaluti anteferre? De re
domeſtica diſputare, communi rerũ
omnium inſtante ruina? Ergò filij *Lucæ. 16*
huius ſeculi prudentiores ſunt filiis
lucis in generatione ſua. Nota ſit in-
tereà catholicis Menenij Agrippæ pa-
rabola, de mẽbris inter ſe totius cor-

poris damno dissidentibus: caueà que, ne quod ille Romanis futurum prædixerat, in se suo impletum damno experiantur. Quid enim miserius videri potest, quàm hanc florentissimam Francorum nationem eò adactam esse calamitatis cernere, vt se suo robore, propriisque manibus iuguler? Nõ caret piis principibus, proceres habet multos, eosdémque egregios, sunt pij milites multi (si qua fides pietasque viris, qui castra sequuntur) est populus multus, denique & pius, & probus, vtrísque manibus & Christi, & Reipub. negotium amplectens. At, quid magna corporis incompositi moles? aut, quid principum, procerũ, militum, & populi confusa propè multitudo? Quid infirmorum numerus, quorum vix vnus alteri auxiliũ præbet? Harum ideo miseriarum causam præbent dissidia, priuatorúmque dissensiones, quorum penes hæreti-

eminaria ſunt. Hi cõcordes principes, & nobiles, diſsidiis, ipsíſque fictitiis, ſæpius diſsoluunt. At hæc eſt, ac ſemper fuit, hæreticorum natura. Qui nõ colligit mecum, ait Chriſtus, diſpergit. Noſtra, aiebat Tertullianus, deſtruunt, vt ſua ædificẽt, eóque vnitatem diſſoluunt noſtram, vt ſuã corroborent, magíſque ac magis cõfirment. Quouſque, ideo, vęcordes erunt Catholici? quouſque hæc mala inter eos vigebunt? quis non hanc miſeram in meliorem mutari tempeſtatem cupiat? Sicut cum placidũ mare ex aſpero, cœlumq́ue ex nubilo ſerenũ hilari aſpectu cernitur, ſic placent, & grata ſunt, pace & vnitate cõmutata bella, & diſsidia. Viris exemplo ſit generoſis, Marci Aemilii Lepidi ergà patriam pietas, qui cùm diuturnas, ac vehemẽtes inimicitias aduerſus Fuluium Flaccũ habuiſſet, ſemel tamen à Cenſore admonitus, eas

Lucæ 11

Tertul. de præſcriptionibus.

liberè depoſuit: exiſtimans non op-
tere eos priuatis odiis diſsidere, qui
Vale. publicè ſummæ iuncti eſſent poteſta-
Max. ti, vt teſtatur Valerius Maximus. Hæc,
lib. 3. vt ſuos tuerentur Romani fines, & vt
cap. 2. miſeræ patriæ auxilio eſſe poſſent, cō-
ſeruabant: nóſque, quibus fides ve-
ráque diuini numinis cognitio data
eſt, id ſalutaris remedii ſpernere vi-
debimur? Publicani ideo, & peccato-
res, & gentes, quæ Deum neſcierunt,
Matth. 12. præcedēt vos in regno Dei, ſurgént-
que in iudicio, iudicaturi generatio-
nem hanc peſsimam.

Habuiſſe, præterea, faciem barbatã
à tergo monſtrum legimus, & hinc
alterum caput, ſerpentis inſtar ignem
emittentis. Hæc enim ſunt quæ hære-
ſis poſteriora ſequuntur. Hæc magnã
à fronte vnitatem præ ſe fert, poſtre-
mò verò, nihil magis igneum, nihil
Iudi. 16. exitioſius, aut miſerius eſſe poteſt. Si-
gnificârunt hoc ipſum quōdam vul-

eculæ à Sansone, comburēdis segetibus captæ. Hæ enim, quanquam ligatæ, vnitatis symbolū præ se ferrent, nihilominus tamen, facibus caudæ alligatis, segetes omnes incēdio vastabant, O ingentem iacturam! Nemo ideo à facie nuda, sepositis posterioribus, de hæresibus iudicet. Habēt enim maxima ex parte speciem pietatis, virtutem verò illius abnegant. Est (vt quondam expressit Salomon) qui nequiter se humiliat, & interiora eius plena sunt dolo. Sūt, quos (adeò enim Demeæ sunt) rugosa, ministralisque frons, facies squalida ac strigosa adeò cōmoueat, vt vbicúnque viderint hominē talem, Paulina quantulacúnque verba, & Christi nomen iactantem, statim & Pauli & Christi illic putent adesse sanctimoniam. Et quis nescit hanc calliditatē Arrio ipsi vsuvenisse? Audiat qui volet Epiphanium, paucis & vultum, &

2 Tim. 3.

Ecclsi. 19.

Epiph. de hæresibus lib. 2. tomo. 2 hæresi. 69.

verba,& ornatum illius exprime.
Erat autem (ait) Arrius ſtatura vald
longus,ſubtriſtis,ſpecie figuratus velut doloſus ſerpens,qui decipere poſſet omne innocens cor per verſutum ſuum prætextum. Dimidium enim palliũ hic ſemper indutus & ſtolam, dulcis erat in colloquio, perſuadens ſemper animas, ac blandiens. Quapropter valde cito ſeptuaginta virginitatem profeſſas in vnum contraxit, & fama eſt ipſum etiam presbyteros ſeptem & diaconos duodecim abſtraxiſſe,& venenum ipſius ſtatim vſque ad Epiſcopos peruenit. Hæc Epiphanius. Quam autem clarè nobis proponat nedũ Arrii hypocriſim, ſed & neotericorum Arrianorum, & Caluiniſtarum, omnium, etiam cæcorum, eſto iudicium. Nihil non ſimpliciſsimo & aſpectu & eloquio primis conditum temporibus videbatur: ſemel perditam ſimplicitatem iterum

nter istos inueniendam multi iudicabant. Quæ enim verba dulcissima de Deo, de Christi misericordia, de gratia illius, de vita consequenda æterna, non abunde effundebant? Et quis eorum non plenis, vt aiunt, buccis pacem & corporum, & animorum ad suas partes declinantibus nonpollicebatur? At quantum fuerit discriminis inter verba promitto & præsto, fabulæ monstrauit exitus: nisi fortè dissidia, bella & dissẽsiones, sacrilegia, furta, & homicidia, stupra, adulteria, & fornicationes, inter reformatorum opera censenda putemus. Iudicet ergò nos Deus, & discernat causam nostram: à gente non sancta, & ab homine inquo & doloso eripiat nos. Ipse enim est Deus noster, & fortitudo nostra, ipse (inquam) cuius virtute liberabimur à sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu & dæmonio meridia-

Psal. 25

Psal. 90.

no, nempe à Diabolo, qui nos(h
in angelum lucis traſſiguratus, med
luce aggreditur, vt minùs ſuſpectus
videatur: cuius poſteriores partes in-
cendia occupãt, anterioribus ſumma
varietate, quæ pulchritudini inſtru-
mento eſſe videatur, ornatis. Sic enim
videmus primum illum tentatorẽ A-
damo prima frõte & varia, & magna,
eáque non ſine pulchritudinis ſpecie
promiſiſſe. Aiebat enim, nequaquam
Geneſ.3 moriemini, ſed eritis ſicut Dii, ſcien-
tes bonum & malum. Quid aut cor-
dibus gratius, aut pulchrius oculis de
ſiderari poterat? At mẽdacii pater pro
diuinitate impeccabili, ad extremam
genus humanum fragilitatem addu-
xit, perpetuam vitam noſtram ætérna
morte commutans, gratiam peccato,
iuſtitiam iniuſtitia, denique & ſcien-
tiam ipſam extrema ignorantia, adeo
vt homo primo in honore cõſtitutus,
nunc comparatus ſit iumentis inſi-

ientibus,& ſimilis ſit factus illis. Etenim quod antiquitus cœpit, hoc ipſum conatur in dies perficere, hoc eſt ſub ſynceritatis & ſimplicitatis habitu & prætextu, indutúſque pietatis ſpecie, piorum animas fallere. Hinc eſt quod clamat. Egrediar, & ero ſpiritus mēdax in ore omnium Prophetarum. Nec iniuria admonet nos Petrus, hortatúrque ad vigilãtiam & ſobrietatem, innuens aduerſarium noſtrum vndique curſitare, quærendo, an ſit aliquis, quem deuoret.

3. Reg. 20.

1. Petri 5.

Ecce quàm appoſitè Lutheri ſpeciē hoc monſtrum depingit, Lutheri ipſius temporibus Romæ apparēs. Mōſtrabat enim natum fuiſſe hominem, qui Eccleſiæ Romanæ non ſtatim occurrēs ſuis poſtremis partibus aduerſaretur, ignémque tanti incendii miniſtrorum, quos corruptelæ ſuæ fæces (vt ex ſtercore bouino animalia multa generantur) producerent, miniſte-

& industria impiis hominibus ministraret. Tales ideo sella Lutheri stercoraria nobis edidit fructus: tãta produxit excrementa, tot fæces, tótque corruptelas: quæ omnia etsi homines tacuerint, ea destructorũ ipsissimi lapides templorũ apertíssimè clamabũt. Nolite ideo pueri affici sensib⁹, videte ne quis vos decipiat per philo-
Matt. 7 sophiã, & inanem fallaciam. Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimẽtis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Neque est quod aliqua eos dignoscẽdi difficultate detineamur: satis enim à fructibus, quales sint arbores, dignosci, & diiudicari potest. Quod si aliquis eo-
Matth. 24. rum vobis dixerit, Christum eiúsque veritatem esse in penetralibus, aut abditissimis hæreticorum domibus, nolite credere. Sic enim quæreretur quasi occultum, quod luce clarius est, & apertius. Neque verò putandum

lampadē veritatis ſemel à Chriſto *Matt. 5.*
accenſam poſtea occultatam fuiſſe.
Ergò exortum eſt in tenebris lumen
rectis corde, miſericors & miſerator *Pſal.*
Dominus, & iuſtus. Neque enim hac *III.*
ſemel manifeſtata luce veritatis catholicæ, aliam ex Lutheri & Caluini, quaſi ex Iouis crebro, nuper natam veritatem ſuperinducere opus eſt.


ORATIO.

Domine Deus omnipotēs, qui nos tua ineffabili potentia capiti noſtro Chriſto veluti viua Eccleſiæ tuæ membra, merito paßionis illius coniunxiſti, vt rewera vnus panis & vnum corpus Chriſti & mēbra de membro, ac vnum eſſemus in ipſo, illique adhærentes efficeremur vnus ſpiritus. Ecce quāto Aſinini ſeminis frigore premimur, quot Aſinorum capita Gallis noſtris miſeris, ſpiritali fame preßis, offeruntur deuorāda, & qui quondam repleti erant, habitātes in domo patris, & abundantes panibus, nunc Aſinorum cerebro & deliriis, fame preßi, paſcuntur, brutorum induti mores monſtroſa conficiunt corpora, relictáque vera vnitate ſpiritus, qua homines in vinculo pacis connectūtur, ad eam, quæ poſtremis temporibus bella procreat, amplecten-

dam confugiunt. Neque enim hinc vlli-
bus auelli poßunt, miserarum Lamiaru
vberibus ablactati. Dereliquerunt enim t
tem aquæ viuentis, vt foderent sibi cisterna
mularum plenas, quæ non valent continere a-
quam. Nemo eorum non clamat, linguã nostram
magnificabimus, labia nostra à nobis sunt. Quis
noster Dominus est? ergò, & fruamur bonis quæ
sunt, & vtamur creatura, tanquam in iuuentute
celeriter. Vino pretioso & vnguẽtis nos implea-
mus, & non prætereat nos flos temporis. Corone-
Sapiẽ. 2 mus nos rosis antequam marcescant: nullum pra-
tum sit, quod non pertranseat luxuria nostra: ne-
mo vestrum exors sit luxuriæ nostræ, vbique re-
linquamus ligna lætitiæ: quoniam hæc est pars
nostra, & hæc est sors nostra. Opprimamus pau-
perem iustum, & non parcamus viduæ, nec vete-
rano, nec reuereamur canos multi temporis. Sit
autem fortitudo nostra lex iniustitiæ. Hæc profe-
ctò verba sunt eorum, quos astutia decepit Sa-
thanæ. Hæc non solùm loquuntur, sed & vanè ac
crudeliter perficiunt. Visita ideo corda nostra,
eadémque in tuæ charitatis vera vnitate confir-
mata in te perpetuò conserua. Errãtes ab vtero,
veritatis tuæ lumine, à via tenebrosa, & operta
mortis caligine retrahe, flammásque bellorum ac
dißidiorum à nobis procul repelle, peßimámque
hæreticorum concordiam disrumpe, & dißipa,
quæ

qui quondam turrim Babylonicã ædificantium ingenia idiomatum diuisione confudisti. Præcipita Domine, & diuide linguas eorum, vt ab hæresi ad Catholicam doctrinã translati, suffocatis voluptatibus, quæ verè Lamiæ, & omniũ criminũ sunt alumnæ, solidiore verbi tui cibo, cuius virtute grandis restans via perficietur, refocillati, ac nobiscum vnà nutriti, ascendamus omnes in fortitudine cibi illius vsque ad montem Dei Oreb: vt te illîc cum omnibus cœlestibus spiritibus & electis perfectè diligere, & perpetuò laudare mereamur, qui trinus & vnus regnas Deus in secula seculorum. Amen.

Hoc monstrum natum est Rauennæ, anno Domini 1512, habens cornu in capite, brachia nulla, sed, eorum loco, alas duas, pedem vnũ auis rapacis, in pectore ypsilon, & signum crucis, & oculum in genu.



AB arbore fico nos discere parabolam, vt æstatem proximam annunciare valeamus, innuit saluator noster, & vt vltrò, à simili progredientes, ex foliis malarum arborum discentes,

Matth. 24. remus æstatem totius instare impietatis & malitiæ, & per consequens nõ abesse procul tempus extremi iudicii. Appropinquare tempora periculosa, quibus erunt homines seipsos amantes,

2. Tim. 3 tes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti sine affectione, sine pace, cri-

minatores, incontinentes, immites, ſine benignitate, proditores, proterui, tumidi, cæci, & voluptatum amatores magis, qnàm Dei. Quibus verbis hæc prædixiſſe Apoſtolũ noſtra tempora, nemo eſt qui ãbigat. His enim, vt cũ Theodoreto loquar, malis vita noſtra, ſeu ætas noſtra plena eſt. Multi pietatis ſpeciem præ ſe ferẽtes, improbitatis ſimulachrũ per opera conſtruunt. Pro Dei amatoribus, pecuniæ & voluptatum amatores multi euadunt, & animi perturbationum, ac vitiorum ſeruitutem amplectuntur, In ſumma nihil non videre licet noſtris tẽporibus ex iis, quæ & ſeruator, & eius Apoſtoli de poſtremis temporum miſeriis prædixiſſe ſcripturarum conſtet teſtimoniis. Excitamur aſsiduis ſacrorum voluminum cõmonitionibus, admonemur præteritarum rerum exemplis, præſentium inſtruimur aſpectibus, vt futuris malis pro-

uideatur, At nemo nō videt magnam hominū partem ἀφ' ἵππων ἐπ' ὄνους idest ab equis, vt nota docet paræmia, ad Asinos descendere & prolabi. Nemo enim non relictis patrum veterum piissmis studiis, ad hæreticorum studia aut descendit, aut, vt descendat, prouocatur: & vbi de vitæ pessimæ in puriorem commutatione cogitādum erat, vt in nobis fides vnitas conseruaretur, multi de fide in infidelitatē commutāda cogitāt. Vt sic omnibus morigeri & dociles videntur aut apparent, & sic, vt vulgò dici solet, currus bouem ducit, & negotium omne præposterè geritur. Paruipēditur Dei verbū, nesciūtur præsentia, nec præuidentur futura. Nihil profectò superest, nisi vt excusso è pedibus puluere, in incredulorum testimonium
Ezech. 3. discessuri dicant Prophetæ cum Ezechiele. Domine, populus iste non audit te, quia non audit me, obscutati

ſunt in impietate ſua, nec viderunt iuſtitiæ & miſericordiæ tuæ ſolem. Effunde iram tuam in eos, qui te non nouerunt, nec nomen tuum inuocauerunt. Prædixerat monſtrũ præteritum Lutheri & filiorum illius corpus monſtroſum in genere: varias præterea animalium ſpecies ex eo prodiiſſe ſatis ſupérque in veſtigiis Eccleſiæ Catholicæ, quæ ante annos aliquot conſcripſi, & in lucem edidi, demonſtratũ eſt, neque opus erit eadem hoc loco tautŏlogicè repetere. Sufficiet duntaxat præſens monſtrum, quo in ſpecie maiores Lutheri impietates exprimi videntur, diligenter admodum conſiderare. Rauennæ, ait Lycoſthenes, natum eſt monſtrum cornu habens in capite, alas duas, & brachia nulla, pedem vnum vt auis rapax, oculum in genu, ſexum vtrúmque, in medio pectore ypſilon, & crucis effigiem. Hoc aliqui interpretati ſunt

Pſal. 78

Lycoſth. de prodigiis.

cornua, ſuperbiam, alas, leuitatem & mentis inconſtantiam, carentiã brachiorum, defectum bonorũ operum, pedem rapacem, rapinam, vſuram, & omnimodam auaritiam, oculum in genu, ſolùm ad res terrenas mentis defectionem, vtrúmque ſexum, Sodomiam, omnémque ſpeciẽ turpiſsimæ luxuriæ. Hæc ex Lycoſthene & quodam Iacobo Rueff chirurgo Tygurino colligi poſſunt. Quæ omnia ſingulatim perpendere, & cum illius boni, ſi diis placeat, Euãgeliſtæ neoterici moribus conferre, gratiſsimum erit: & vt conſtet clariùs qualis ipſe fuerit, quantóque nunc honore dignus cenſẽdus ſit, & præterea quàm bardi ac ſtupidi ſint, quos monſtri miſerrimi, tot depicti coloribus aſpectus, à vera pietate ſeuocans, ad omnem ttanſtulit impietatem. Miſeri proculdubio cenſendi ſunt, qui in fide radicati, & in charitate formati,

Iacobus Rueff. Tygur. lib. 5. de cõceptu & generatione hominis.

temere animal brutum, & informe, relicta sua pulchritudine, leuiter & inconsideratè amplexantur: & qui Circea plusquam incantatione capti, & hominũ formas pertæsi, in auium canum, aut porcorum naturam migrare gestiunt. Audite hæc, omnes gentes, auribus percipite omnes, qui inhabitatis orbem, quique terrigenæ filij hominum simul in vnum, diues Psal.7:7
& pauper. Primum huius animalis ornamentum cornu esse testatur ipsa effigies, quod assumere Latinis nihil aliud est, quàm superbire, hinc vulgò fertur illud.

-tunc sumit cornua pauper.

Hinc est, quod & in sacris literis exaltare cornua, aliàs est suas vires nimiùm iactare, & earum iactantia nimiũ insolescere. Hinc Psaltes. Dixi Psal.74
impiis, nolite iniquè agere, & derelinquentibus nolite exaltare cornu: nolite exaltare in altũ cornu vestrũ

nolite loqui aduersus Deum iniquitatẽ. Sic legimus Sedechiam pseudoprophetã, & alterúm Caluinistarum ministrũ, fabrefactis sibi ferreis cor-
3. Reg. 22. nibus, & agitato capite ad Achabum dixisse, in his ventilabis totã Syriam: vt etiam in curribus & equis suis Caluinistæ omnem omnium gentium, quamuis in vanum & frustra, ventilationem sibi pollicebãtur. Hi enim in curribus, hi in equis, nos autem in nomine Dei nostri inuocabimus. Ipsi obligati sunt, ait Dauid, & cecide-
Psal. 13. runt: nos autem surreximus, & erecti sumus. Quale autem fuerit Lutheri cornu, quámque superbè exaltatum, nedum ex Caroli Quinti Imperatoris egregia certè memoria digni, bellis & victoriis, quæ fortè perfectiores fuissẽt, nisi sibi nostra gnauiter obstitissent impedimẽta, colligi potest, verumetiam ex ipsius scriptis clariùs luce videri poterit. Ipse enim, ne quem

lateret hominis temeritas & proteruia, iactare aperto ore audet nusquã fore, vt Christus pacificus regnet, donec omni humana debellata potentia, suum, quod vocat, pacificè regnet Euangelium. Contra Deum erectum illius fuisse cornu adeo claret, vt nullis egeat probationibus. Quàm parentes Regum & Principum iussis populos reddiderit, ex eo colligi potest, quod ait clarè & articulatè inter Christianos nullá esse superioritatẽ, ex libro de potestate seculari colligi potest. Adde quod, vt subditos faciliùs doceat principibus suis debitum reddere honorem, debitámque obedientiam, affirmat suos principes esse mendaces & obstinatos, ne ratione quidem præditos, sed potius bestias, quàm homines. Quis non videt elatum monstri huius cornu? Et quis videns tãtam impietatem, non perhorrescit, & perhorrescens vitat & eius

Luther⁹ lib. de potestate seculari.

Luther⁹ epistola contra duo mãdata Cæsaris, & lib. de seculari potesta.

conuictum, suorumque conuersationem declinat? Quàm autem amator sit Principum, quibus, etiam dyscolis, obedientiam præstare tenemur, eodem ex libro cōtra duo mandata Cæsaris colligere est. Illîc enim ait Deũ orandum esse, ne obcœcatis (qualem putabat tunc temporis fuisse Carolũ Quintum) principibus obsequamur, vel in militiam ire, vel dare aliquid contra Turcas cogamur: quandoquidem, ait, Turca decies probior prudētiórque sit, quàm nostri principes. Hæc Lutherus. Adde his quod ait suos nullis hominum legibus teneri, ac nullam rempublicam feliciter gubernari posse legibus. Quod si Lycurgus, Solon, Plato audirent, nescio qualem iudicarent hunc reuerēdissimum Germanorum Apostolum. Quid plura? Euangelicum hunc Eliam dicere non puduit, quòd præliari cōtra Turcas, sit repugnare Deo

Luther' in articulis per suos collectores taxatis.

Luther' in aßertionib'.

punienti nos per Turcicam tyrannidem. Quid enim aliud dicere conabatur Lutherus, quàm cum Sedechia, in his ventilabis totam Syriam? Quã sibi, quasi summam rerum tenenti, regnorum omniũ miseram euersionẽ polliceri? At hoc erat omnia inconsulto, vt dicunt, hospite, sibi polliceri. Neque enim audiebat vocem Domini per Prophetam dicentis. Omnia cornua peccatorum confringam. Ipse enim dissipiat consilia gentium, & reprobat cogitationes populorum. Is iudicabit fines terræ, & dabit imperium regi suo, & sublimabit cornu Christi sui. Mihi profectò multũ placẽt Chrysostomi verba dicentis. Necessariò qui arrogãs est, & cõtumeliosus, & percussor, & iracundus, & amarulẽt9, & tristis, bestia est magis, quàm homo. Cornupetam ideo hunc taurum miserum, omnésque illius prognatos, quãta fieri poterit leuitate fu-

Psal. 74.
Psal. 32.
1. Reg. 2.
Chrysostomus in caput 2. ad Philippenses homil. 7

gite, nihil iis commune ſit ſumma cũ
illius proteruia. Illius enim iſte imi-
tatur audaciam, quem quondam di-
Eſaiæ 14. xiſſe conſtat, aſcendam, & aſsimila-
bor altiſsimo: nec audire dignatus
Eccleſ. 10. eſt illud ſapienter dictũ, quid ſuper-
bis terra, & cinis? Qui diligitiis Do-
minum, odite malum. Cuſtodit enim
Pſal. 65. Dominus animas ſanctorũ ſuorum,
de manu peccatoris liberabit eos.
Lux à Chriſto, non à ſomniis Lutheri,
aut ab eius fabuloſis, Caluiniſtarúm-
que præſtigiis orta eſt piis, & rectis cor
de lætitia. Qui enim vicit principa-
tus & poteſtates, triumphans illos in
ſemetipſo, qui abſtulit chirographũ
de medio, affigens illud cruci, qui in-
quam, abſtulit nos de poteſtate tene-
brarum, & tranſtulit nos in regnum
ſuum, Dominus noſter Ieſus Chri-
ſtus, ipſe non relinquet virgam pec-
catorum ſuper ſortem iuſtorũ, vt non
extẽdant iuſti ad iniquitatem manus

ſuas. Ille ipſe, qui benefaciet iuſtis & rectis corde, deſtruet & cornu, & cornutum, & robur ſuperborum, & ſuperbos ipſiſsimos.

Alis quidem inſtructus fuit Lutherus, nec minùs manibus & brachiis, quàm monſtrum noſtrum, ſe carere, multis docuit teſtimoniis. Alis extremæ ſuperbiæ ac præſumptionis ornatum fuiſſe teſtantur illius iactabundi ſermones: quibus, vt innuit Staphylus, Heliam affirmare ſe non dubitauit. non pennas columbæ cum Dauide quæſiuit bonus ſcilicet iſte vir, quarum vſu, poſt ſimplicitatis totius volatum, requieſceret, ſed potius vſque ad altiora & ſecretiora fidei miniſteria penetrans, nunc Deum infidelitatis arguens & impietatis (vt cum ait Deum cum peruerſis votariis peruerſá agere, quia vlturus eorum ingratitudinem & ſuperbiã, facit quod ſua vota non ſeruent, aut cum ingen-

Staphylus in topicis.

Luther᷒ libro de captiuitate Babilonica

ti labore ſeruent) quaſi non à Diabolo, ſed potiùs à Deo tententur, qui ſibi aliquod votum fecerunt. Et quid proderit Iacobũ ſcripſiſſe, Deum intentatorem malorũ eſſe? Et Dauidem aliquando dixiſſe, non Deus volens iniquitatem tu es, neque habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniuſti ante oculos tuos? Odiſti omnes qui operantur iniquitatem. Quòd ſi exiſtimâſſet vota non reddere carere peccato, quorſum, ne omnes veteris inſtrumenti leges reuoluam, ſpectabit illud Dauidicum, redde altiſsimo vota tua? Quæ verba ne Beza quidem immutare potuit, facturus haud dubiè, ſi potuiſſet, ne votis fauere videretur. Sic enim quondam ne limbum patrum, quem vocat papiſticum, fateretur, ſacratiſsimum Chriſti corpus, verbo diuino inſeparabiliter coniunctũ, cadaueris nomine vocitare non dubitauit. Et quid non au-

Iacobi. 1

Pſal. 5.

Beza in annotationibus cap. 2. Actorũ.

dent alati & elati huius farinæ viri? Notum sit illud Nasonis.

- in audaces non est audacia tuta. *Ouidius lib. II. Metam.*

Nota Luthero, & suis esse debebat Phaëtonteæ præsumptionis & temeritatis vltio, vt disceret prudenter, & solutis pedum calceamentis diuina aggredi mysteria. Non possunt aut manus aut pedes, vt benè operẽntur, & gradiantur in viis Domini, habere, qui sapientes sunt, vt faciant mala: *Iere. 4.* bene autem facere nescierunt: habẽt duntaxat pedem vnum, cúmque pedi auis rapacis similem. Quorsum enim bona opera cõdemnâsset tota cũ suo Luthero hæreticorũ turba, honestúmque viuendi modum? Si quis verò suspicetur me calumniæ notam inurere Luthero, audiat illum, ætatẽ enim habet. Caueamus (ait) à peccatis, multò magis ab operibus bonis & legibus, solamque Dei promissionẽ attendamus & fidem: ipsa enim bre- *Luther. proposit. vltima de nouo testamẽ.*

uis eſt perfectio, nec aliqua lex requiritur, nec opus, imò & legem præſcindit & opus, & omnes leges, omniáque complet opera. Et quid aliud agit in libro de captiuitate Babylonica, niſi vt doceat perinde eſſe malè aut bene viuere? Hæc ſunt illius colligentis præcedentia quædam. Vides (ait) quàm diues ſit Chriſtianus homo, ſiue baptizatus, qui etiam volẽs, non poteſt perdere ſalutem ſuam quantiſcúnque peccatis, niſi nolit credere. Nulla enim peccata eũ poſſunt damnare, niſi incredulitas. Cætera omnia, ſtet aut redeat fides in promiſsionem diuinam, factam baptiſmo, momento abſorbentur per eandem fidem. Hæc Lutheri verba. Poſſem hîc adducere cõgeriem & falſarum rationum, & teſtimoniorum ſcripturarum, quibus ad ſpeciem (vt ait Hilarius) & non ad ſalutem vtũtur, vt probent hominem non habere liberũ arbitriũ, nihílque

Luther. de capt. Babylonica pag. 36.

boni

boni poſſe, aut facere, aut eligere. At his libere exuto, ſufficit Lutherũ ac omneis Caluiniſtas, Beſanóſque contemplari, monſtroſos, ne dum truncatos manibus & pedibus, ſed &, vt alios ad ſe trahant (non quod ſortẽ propriam meliorem exiſtiment, ſed, vt ſocios habeãt multos impietatũ) verba & ſcripta infinita propè effutientes. Talem fuiſſe Vulpem Aeſopicam omnes nôrunt: cui cùm adẽpta eſſet cauda laqueo, ne infamia notaretur, id ſeriò feciſſe concionabatur, quaſi membrum cauda illis fuiſſet inutile, moleſtúm, parũque decôrum: neque talia loquebatur, quaſi vera fuiſſe credens, ſed vt ſocios contumeliæ ſuæ cõſortes efficeret, cui anum vulpem, quæ non capitur laqueo, conſtat reſpondiſſe id conſilij genus, quo eos ad ſuam miſeriam magis, quàm ad publicam vtilitatẽ pertrahere conabatur, ſibi ſociiſque omnibus parũ gratum,

Fabula Aeſopica.

minúſque vtile viſum fuiſſe: ſibi que peſsimo conſultore eiuſmodi opus nõ fuiſſe, qui ſuæ conſulere vtilitati ſatis
Eccle.4 ſúpérque nouiſſent. Stultus ergò cõplicat manus ſuas, & comedit carnes ſuas, iudicans melius eſſe parum cum requie, quam multum cum labore & afflictione ſpiritus. In pace Leones, ſeu ad altiora volãtes Aquilæ, in bello vero, vbi induſtria pietaſque hominum operibus comprobanda eſt, ſerui ſunt impietátis totius, eneruati, ſeque omnibus deſtitutos viribus reclamant. Nec tamen eos pudet clamitare ſe vbiq; Dei, Regũ & Principũ ſeruos humiliſsimos, ſubditiſsimos, obſequẽtiſsimos, fidiſsimoſque, quorũ fidelitatem, obſequentiã, ſubiectionem, ac ſuperbam pluſquam humilitatem procul auertat Dominus. Hoc præcipue ex eorum publicis præcibus veriſsimum & credo, & ex eorum
Veritas Caluiniſtica. operibus colligo, quod ad omne opus

bonum inutiles ſunt, & ad omne malum procliues ac paratiſsimi: nam & ſi pluſquã eſſet opus probauerint quę mala poſſunt operari, ſe bona facere poſſe nullo teſtimonio, hucuſque probatum eſt. Hæc ergò eſt hora impietatum ſuarũ, atque poteſtas tenebrarum, quibus magna ſua culpa inuoluuntur. Vtinam mentis auribus audituri illud Prophetæ: væ qui dicitis *Eſaiæ.5* bonum malum, & malum bonũ, ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem, mutantes dulce in amarum, & amarum in dulce, aliter audituri, idque ſero, pœnitendi tempore iam nõ amplius ſuperſtite, illud Saluatoris Ieſu, ſummíque iudicis. Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatẽ, dicitis mihi Domine, Domine, & nõ *Matth. 7.* facitis quæ dico? ego interea conſtitutus ſum Rex à Patre ſuper Sion mon- *Pſal. 2.* tem ſanctum eius, vt regã impios in virga ferrea, & tãquam vas figuli cõ- *Sapiẽ. 5.*

fingam eos,& vt piorũ laboribus mer
2.Cor.5. cedem reddã,non daturus prout quiſ
que aut crediderit,aut loquutus fue-
Matth.5 rit,ſed potius prout fecerit ſiue bonũ,
ſiue malũ,redditur⁹ iis,qui bona fece-
runt,vitã æternã, iis verò qui mala e-
gerunt, ignem ſempiternũ, Diabolo
& angelis ſuis,ac impietatum ſuarum
miſeris imitatoribus paratiſsimum.
Hæc contemplentur homines,ſi qua
fides, ſi qua pietas,et ſi aliqua propriȩ
Epheſ. 2 ſalutis ſcintilla eorum inhæreat pe-
ctoribus,nec ſe à tenebris ſemel ad lu
cem tranſlatos,iterum patiantur à lu-
Pſal. 4. ce ad denſiſsimas tenebras reuocari.
Audiatur perpetuò illud Dauidicũ.
Filii hominũ vſquequo graui corde,
vt quid diligitis vanitatem,& quæri-
Auguſt. de verbis Apoſtoli ſermone 15. tis mendacium? Memoriæ perpetuò
inhæreat illud Auguſtini. Qui fecit
te ſine te,non te iuſtificat ſine te, fecit
neſcientem, ſed iuſtificat volentem
Quæ omnia ſi hæreticorum mẽtibus

perpetuò inhæsissent, non se tot tantísque immersissent impietatum lacunis. Vnum, hoc monstro, inter alia notatu dignisſima significatur.

Quod si fortè quæratur, cur tam horrendam homines in se patiantur & confusionem, & monstrosam turpitudinē, in promptu erit ratio: quia oculū ad genu habent, infimarúmque rerum & terrenarnm aspectu illecti, cælestia despiciunt, qui terrena sapiunt, quorum nulla conuersatio in cœlis est, nec audiunt illud Prophetæ, oculi tui videant æquitatem. Leuet ideò carnalis, monstrosus & deformis oculos suos in circuitu, & videat, videat inquam, cōtempletur & agnoscat suam sortem longè calamitosiorem, abstergat omnem turpitudinem, confusionē reiiciat, cornu proteruiæ extirpet, alas curiosæ temeritatis abiiciat, brachia & pedes, nempe pietatis totius gressus, & actio-

nes, sectetur & perficiat: vt quicquid in eo deforme & monstrosum fuerit, subita in melius cõmutatione, & suo ordine dirigatur, ac formetur, vt si quãdo numismatis sui figuram quæsierit Rex noster à nobis, saltem nos ipsos sibi, egregiè dispositos, offerri non pudeat, signatum super nos lumen vultus sui, intemeratum, & purum conseruantes. Hoc enim expressisse videntur notæ, quibus insignitũ erat monstrum, Crux scilicet & litera Pytagoræ, nempe Y. Illa enim ad carnis mortificationem, & carnalium desideriorum suppressionem, excitamur, iuxta Christi testimonium dicẽtis. Qui vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem, & sequatur me. Aliter enim fieri non potest, vt Cristi veri ministri simus. Hinc illud. Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Quod & Apostolus aliis verbis ex-

Matth. 10. & 16
Marci. 8
Lucæ 9.
Rom. 3. & 8.

presſit, dicens. Ne carnis curam feceritis: ſi enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini. Nec iniuria ideo Chryſoſtomus vocat crucem victoriæ noſtræ ſignum. Eo enim, tanquã inſigni militari, ad pugnam & victoriam erigimur & inflammamur. Et alio loco. Noli (ait) crucem verecundari: hæc enim ſunt decora noſtra, hæc ſacramenta, hoc ornamur dono. Altera verò notâ ad virtutis amorem accendimur. Ea enim litera viã, qua itur ad virtutem, expreſſam fuiſſe veteribus, Latini Poëtæ verba teſtantur. *Chriſoſt. in Matt. homel. 55. & 52.*

Littera Pytagoræ diſcrimine ſecta bicorni
Humanæ vitæ ſpeciem præferre videtur.
Nam via virtutis dextrum petit ardua callem, *P. Vergilij Epigram.*
Difficilémq; aditũ primùm ſpectantibus offert:
Sed requiem præbet feßis in vertice ſummo.
Molle oſtentat iter via lata: ſed vltima meta
Præcipitat captos, voluítque per ardua ſaxa.
Quiſquis enim duros caſus virtutis amore
Vicerit, ille ſibi laudémque decúſque parabit.
At qui deſidiam, luxúmque ſequetur inertem:
Dum fugit oppoſitos incauta mente labores,

Turpis, inópsq; simul miserabile trãsiget æuum.

Ecce quàm piè huius monstri aduẽtu admonebantur mortales de lata vitæ carnalis via relinquenda, vt quantumuis arctam virtutis viã, qua homines ad felicitatẽ summam perducuntur, suspirent. Harum enim viarum claram expressit Iesus Christus distinctionem, dicens. Arcta est via, quæ ducit ad vitam, & pauci in-
Math.7 ueniunt eam. Lata porta & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, &
Lucæ.13. multi sunt, qui intrant per eam. Contendite ergò intrare per angustã portam: quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterũt. Et quid opus est, relicta doctrinæ catholicæ via arcta, ad latam carnalium confugere, viásque populares sequi? nisi fortè iis, qui animæ salutem propriæ parui æ-
2. Petri 2. stimant. Futuros prædixerat Petrus homines, qui Pseudoprophetarum sequerentur luxuriam, vt certè non

ſine graui dolore peractum conſpicimus: at neſcientes, quia nouit Deus pios de tentatione eripere (ait Petrus eodem capite) iniquos verò in diem iudicii reſeruare cruciandos. O quãtò melius fuerat cum Dauide poſtulâſſe portarum tantæ viæ adapertionem, dicentes. Aperite mihi portas iuſtitiæ, & ingreſſus in eas. Hæc porta Domini: iuſti intrabunt per eam.

ORATIO.

Aſpice Domine hanc familiam tuam, eámque gratiæ tuæ miſeratione guberna, à tot tantíſque tribulationibus eripe, nempe cornu elatiſſimæ ſuperbiæ, & aliis temerariæ præſumptionis, quæ arma ſunt, fuerúntque ſemper Pſeudochriſtianorum hæreticorum, & eorum maximè, qui hac tempeſtate hanc mitiſſimã Galliam in crudeliſſimam commutârunt carnificinam, extingue ideo in ea bellorum & ſeditionum incendia, Lamias voluptatũ ſuffoca, & è medio tolle, vt carnalium cupiditatum flammis reſtinctis, & brachiis piarum actionum, iis, qui bonis carent operibus, reſtitutis, ac pedibus, poſthac in viis tuis ambulare non deſinant, hoc totum Gallicanum corpus propè informe in ſpeciẽ ſuam. priſtinúm-

que ſynceritate ſplendorem reſtitue. Ecce vt miſera incedit tota Gallia ſanguine ſuffuſa & lachrymis. Vide Domine humilitatem illius & laborem, & dimitte vniuerſa delicta illius, dirige greſſus ſuos in ſemitis tuis, vt non moueantur veſtigia eius à cætero: ſed in ſemitis mãdatorum tuorum perpetuò perſeueret. Aſininum ſummi frigoris ſemen, omninò deſtrue, vt igne perfectæ charitatis accenſi, diſsipatis erroribus ac impietatibus vniuerſis, ac eliſa omni inimicorum tuorum audacia, Eccleſia tua ſecura tibi ſeruiat libertate per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

De monſtro vitulo-monacho Lutheri temporibus nato, circa annum domini. 1523.



VEre horrendum est (ait Aposto- *Heb. 10*
stolus) incidere in manus Dei viuentis. Non enim corrigi vllis, aut virgis, aut commonitionibus potest, quem Deus despexerit: vt vidēs non *Esaia. 6*
videat, & audiens non intelligat, excæcatur illius cor. Tales olim fuisse Cainum, Pharaonem, & Iudam testes sunt sacræ litteræ. Eodem notatum morbo Lutherum vna cum multis propagationis suæ palmitibus, huius monstri clarissima cōsideratione patescet. Semel enim socio fulmine cœlitùs percusso per-terrefactus, bonis literis satis eruditus, vitam monastīcā aggressus, ad sacrā diuini verbi prædicationem vtcúnque cōparatus, multa de se bona, nisi superna dona spreuisset, pollicebatur. Et quanquam cupiditate, nescio qua, ductus, in Leonē 10 Pontificem iratus, quod sibi negotium publicandi indulgentias nō commisisset, tamen ad se reuersus, vt

Surii historia. alter Iſcariotes, reatum ſuum fateri viſus eſt. Hoc ſonant hæc illius verba ad Leonem. Proſtratum me pedibus T. B. offero, viuifica, occide, voca, reuoca: approba, reproba, vt placuerit. Vocem tuā vocem Chriſti in te præſidentis & loquentis agnoſcam. Hæc illius eloquia, quæ profectò nuſquā dixiſſe eum, niſi propria cogente culpa, credendum eſt. At peccatum illius illi ſemper aduerſabatur, qui ex bono angelo (vt Chryſoſtomi homilia de vita monaſtica verbis vtar) in Diabolum paulò poſt malitia mutādus erat. Multa ergò fuiſſe conſtabit, quæ illius arguebant impietatem. Ac primò ipſiſsimum Dei verbum, quo docemur omnes Eccleſiam, quæ omnium cōſenſu nationum pro Catholica habenda eſt, non ſecus ac matrē, audiendam eſſe. Habuiſſe præterea propriam conſcientiā ſibi aduerſantem, nedum ex ſuperioribus verbis

Luther. epiſtola ad Leonem 10. Pontif.

Chryſ. homilia de vita monaſti.

Matt. 18

perſpicitur, verumetiam ex eo, quod ſcripſit Auguſtinianæ familiæ religioſis Vuitenbergæ, vt miſſam aduerſa conſcientia deſtruerent, ídque repugnãte propria fide ſe feciſſe iactãs. His adde quod de eodem refert, illo non melior multò, Molinæus. Martinus Lutherus (ait) faſſus eſt, ſe tandiu cucullis bona fide (ſi bona dicenda ſit, ſupple) ſeruiuiſſe, vt vix etiã viginti annis profeſſus Euãgeliũ, poſſet imbibitos mores excutere Hæc verba Molinęi. Ecce propriæ vt conſciẽtiæ premebatur accuſationib9, & quã temere vocãti Spiritui ſancto reſtitit. *Luthe. epiſtola ad fra. Vuitembergenſ.* *Molin. in ãnot, harmoniæ.*

Quid? nonne & monſtrorum conſpectu hominem moueri oportebat? etſi non præteritorum, ſaltem poſtremi: quod non latuiſſe Lutherum, qui de eo (teſte Licoſthene) ſcripſit, certũ eſt, idémque Lutheri ipſius è monacho in vitulum mutationem præmõſtrâſſe, non poterat occultari. Hæc Li-

Lycost. de prodigiis. Eadem testatur. Rueff. Tygurinus lib. de conceptu & generatione.

costhenes de monstri huius natiuitate mādauit literis. Vitulo monachus ait, monstrnm terribile, natum Vualtelsodorsi vno à Frigerbo lapide, pago ditionis Cellensis, villa rustici cognomento Stecheri: de quo monstro D. Martin⁹ (caue ne cū stultis Lutherū Diuum dixeris) Lutherus libro edito suam exposuit sententiā. Huius lucidiorem Iacobus Rueff Tygurinus describit formam, dicens. In Saxonia circa initia prædicationis Lutheri natum monstrum bouinis pedibus quatuor, oculis, ore, nasóque vitulum referens, supra caput carnem rubeam forma tonsuræ sacerdotalis habens, à tergò forma cucullæ monachicæ dependente, vndique vero fissuris plenum videbatur esse. Videat hinc pius lector, ac mecum miretur infinitam Dei erga genus humanum clementiam, æquámque iustitiam. Alterum, ex eo quod dignata est mortalium o-

culis huius monſtri natiuitate Lutheri, & ſuorum Apoſtaſiam proponere, idque adeo apertè & clarè, vt nemo non ex vngue leonem dignoſcere valeat. Iuſtitiam vero, Lutheri nobis proponit obſtinatio, cuius tanta fuit impietas, vt eū non puduerit publicè monachi habitum in ſecularē & Thraſonicum mutare, verumetiā aduerſa conſcientia, & conteſtante ſpiritu ſancto, teſtimoniúmque perhibēte, quòd eſſet filius Diaboli (hinc illæ viſiones, in quib⁹ teſtatur ſe Diabolum alloquutum fuiſſe, ſéque argumenta in ſacrum Euchariſticum ſacrificium, quæ tantopere Caluiniſtæ & Lutherani hodie ventilant, ab eodem præceptore didiciſſe ſcribit,) niſi eum cœptæ iam impietatis pœniteret Ille, contrà, ius canonicum anno Domini 1520. Vuitembergæ igne palam & publicè cremauit, & abiecta religionis vita, omnem irreligionem

Luther⁹ de miſſa āgularē

professus est. Nullum non, quantumuis graue, piaculum tuetur atque defendit: luxuriam non esse peccatum, sed opus adeo naturale, vt omnes naturalem fatentur cibi & potus vsum. In quo Iouinianæ impietatis æmulus tam clarè spectatur, vt mihi Iouinianus videatur Lutherizare, aut Lutherus Iouinianizare. Adde præterea quàm manifestè sermone de coniugio errorem Nicolaïtarum se tenere patefecerit, vbi hæc sunt illius verba. *Si nolit venire vxor, accedat ancilla.* Neque silentio prætereundum est, quãto labore toto scripto libello Vestalis apostasiam tutatus sit: cuius egressum è claustro, quanquam reseratis ostiis exiisset, ingenti tribuit miraculo: nescio an Caluino gratũ fuisset tale miraculum vestalium huiusmodi egregio protectori, vnà cum Beza viuacissima tãti patris imagine, qui ne Christi è sepulchro egressum miraculo, & omnipo-

Luther. lib de vita coniugali

Luther. sermone de matrimon.

Lutheri libellus pro tuẽda Vestalis apostasia.

omnipotentiæ diuinæ tribuere vnquam voluerunt. Hæc fecisse Lutherũ monacho vitulum circa annum Domini 1524. Surius testis est. Tantam paucis temporibus vituli seu Tauri potius proteruiam est assequutus, vt accusatum procacitatis crimine eum respondere non puduerit, nihil sibi gratius, quàm eo vocari nomine, eáque (adeo pacis & vnitatis amator erat) insigniri nota. Idipsum etiam testatur sua ad discipulos benedictio, quæ præfatione cõmentariorum Prophetiæ Ioëlis cõtinetur. Huius hæc sunt verba. *Impleat vos Dominus benedictione sua, & odio Papæ.* Quibus omnibus adiici potest Zuinglianorum de eo iudicium, quibuscum aliquantulũ versatus, illius peruicacitaté haud pati potuerunt, nec ille eorum a se in doctrina de cœna discessionem. Hinc est quod sua vltima confessione de Eucharistia Zuinglianos omnes, ac

Præfatio commẽtariorũ Lutheri in Ioëlẽ.

perditos, ac damnatos homines, damnat, reiicit, ac reprobat. At illi tantã hominis licentiam non patientes(sic enim hæretici omnes vna cum Osiãdro clamare soliti sunt, NOLO VINCI) audacter in Lutherum reclamãt. Quotquot, aiunt, illius sententiæ nõ illico subscribere velint, confestim Satanæ tradit. Tãtæ humilitatis plenus fuit iste Pseudohelias, támque vanitatis amator, vt ne riualem quidem potuisset pati Iouem. Sic monachus in vitulum versus, manus ac pedes bouinos, gressus scilicet & actiones spurcitia & turpitudine omni deturpatas, habens, monacham seu vestalem Circeo plusquam pharmaco in vitulam & vaccam mutatam, incestu sibi copulauit. Dignum enim videbatur id ipsum flagitii genus ab eo committi, quod in alio laudârat, vt propriæ legis omnium primus cultor & assertor videretur.

Osiandri verba quouis hæretico digna.

Hoc enim vitulo monachi natiuitate significari videbatur, nempe non defuturos, qui à tergo abiecta in spinis (vt vulgo dici solet) cuculla, vulgarem, plebeiam, ac, vt meliùs dicam, cauponariam ducerent vitam. Hoc etiam fissuræ prominentes polliceri videbantur, nec iniuria. Tunc enim cœpêre ex monachis & sacerdotibus plurimi, & crassissimis & fissuratis, ac ollo sericatis caligarum ornatibus vti, Hinc illa scenalia plusquã seu histrionica ornamenta, quibus maximam cleri partem vti videmus. An non egregia hæc reformandi Christi Ecclesiam via esse potest? Vt reformemur *Rom.12.* omnes in nouitate sensus, & docet & rogat Apostolus, hoc est vt abiecta omni impietatis vetustate, nouũ mediatoris noui Christi Iesu induamus ornatum. At sic omnia sursum deorsumque euertere, humilitatem proteruia, sobrietatem extrema voluptate,

vnitatémque dissidiis commutare, nõ est Christi Ecclesiam repurgare, aut reformare, sed deturpare potius, informémq; reddere. Curabat ideo pessimus iste Pharmacopola filiam populi mei cum ignominia, dicit Dominus. Alia via, aliáque methodo repurgandis & monachorum, & sacerdotũ, ac Cleri totius abusibus, opus erat. Hæc videbat Lutherus, propriísque palpabat manibus, nec tamen à cœpta semel impietate reuocatus est. Ecce quã violenter suos trahat Satanas, quos semel suis obligatos vinculis, nunquam, nisi inuitus, ad resipiscentiã retrahi patitur, imò quibus potest illecebris meliora ad finẽ vsque pollicetur. Primò bonum vnum ponit, & cum inebriati fuerint sui, id quod deterius est. Ecce quàm sit miserum illius cõstringi compedibus, illiúsque alligari ferreis manicis. Quis nõ audiet, libentérque amplectetur illud

Esaiæ. 3

Ioãnis. 2

Iacobi consilium? Resistite Diabolo, *Iacobi. 4*
& fugiet à vobis: appropinquate verò, & appropinquabit vobis. Quod vtinam sequutus fuisset Lutherus, cuius ministerio tot Christi Ecclesiæ lateri inflicta fuisse, ac quotidie infligi vulnera, nemo negare potest. Neque enim illius in præsentem vsque diem augerentur pœnæ, vt in tanto malorum nostrorum incremento magis ac magis augeri nemo piorum est, qui non credat. Quid enim opus erat hominem et donis ornatum cœlestibus, & ad sacratissimam vitæ professionem vocatum, tot deturpari piaculis, & in tantarum impietatum barathrum demergi? Non ergò glorie- *Ierem. 9*
tur sapiens in sua sapientia, aut dicax in sua dicacitate. Ea enim dona si charitatis cōdimento caruerint, inflant, *1. Cro 2*
& non iustificant, & potius ex monacho vitulum, quàm ex vitulo monachum conficiunt. Ea enim proteruia

ſcimus Adamum effectum fuiſſe iu-
Pſal.48 mentis inſipientibus, & brutis animã-
tibus ſimilem. Ergò qui diligitis Do-
minum, odite malum, cuſtodit domi-
nus animas ſanctorũ ſuorum, de ma-
Pſal.96 nu peccatoris liberauit eos. Superbis
enim reſiſtit Dominus, vt fauorẽ hu-
milibus impartiatur. Hæc fuit mõſtri
Lutheri, certè teterrimi, fœdiſsima
commutatio. Hæc regni illius prælu-
dia, cuius progreſſum multis miſerum
nominibus Gallia vtinam noſtra, ſan-
guine & lachrymis ſemiſepulta, non
damno ſuo, magnáque iactura expe-
riretur, quam bos iſte cornupeta tot
tormentis ac flagitiis diuexat & af-
fligit.

Nunc, cùm non ſit otium ſingulis Monacho vituli noſtri actibus flagitioſiſsimis reſpondere (neque enim totus mundus caperet eos, qui ſcribẽdi eſſent, libros) ad illius finem pluſquam miſerũ, & vitulo ſane dignum

quàm paucis potero verbis pertractã-
dum accedo. Non potuit miſerrimi
hominis miſerrima mors vitæ pluſ-
quam miſeræ nõ reſpondere. Vt enim
eorum, qui piè vixêre piorum, non
poteſt pius non eſſe exitus, ſic impio-
rũ infelicisſimus ſolet eſſe vitæ ter-
minus. Ita enim ex viridi ligno fumũ
potius, igne adbibito, quàm claram
ignis flammam prodire videmus: vt
eo admoneamur in omni actionum
noſtrarum genere vltimæ ſemper re-
cordari periodi, nec vnquã obliuiſci
finis, quo aut ad vitã, aut ad damna-
tionem æternam mortales perduci
opportet.

Anno ideo ſalutis 1546. Pater ille
minimè reuerendus Lutherus & 17.
die menſis Februarii, Iſlebæ, natalitio
loco, ſub mediam noctẽ poſt ingen-
tem pateræ, Germanico more, ob am-
bulatîonẽ, multáque colloquia, Dia-
bolo, cui viuẽs egregiè ſeruierat, mo-

Psal.33. riens ſpiritum reddidit. Sic enim veriſsimum compertum eſt illud, mors peccatoris peſsima. Et ne quis de eius ſalute dubitet, ecce illius animam efflātis verba, quæ refert Ionas Gallus. *Ionas Gallus in vita Lutheri.* Orate, dicebat compotatoribus ſuis, pro Domino noſtro Deo, & eius Euangelio. Et quis non talem orationem ter ebrio homini tribueret? Sic muſto plenus, & pietate vacuus Monacho vitulus iſte obiit. Vtinam nō tot ſuæ partis feroces tauros cornupetas reliquiſſet. Sic vt vulpes intrârat, & regnârat vt Leo, mortuus eſt vt canis Cuius mortui tale fuiſſe epitaphium refert Surius. *Chronicon Surij.*

Peſtis eram viuus, moriens tua mors ero, Papa.

(ego iudicarem multò meliùs ſibi cōuenire illud Bezæ, *Beza in Epigr.*

Ampliſsimus vir hic iacet) ut hinc conſtaret, ne iam morte quidem obliteratam eſſe illatæ ſibi, pro non prædicādi indulgentias data authoritate, in-

iuriæ memoriam, nec ſibi apud infe-
ros deeſſe egregiam excercendæ vin-
dictæ, modo id poſſet, quod ſibi eſt in
votis, maximámque voluntatem. Sic
profectò vermis eorum non moritur,
& ignis malitiæ impiorum perpetuò *Eſaiæ. 66.*
incandeſcens non extinguitur. *Marc. 9.*

Ne in id calamitatis genus incide-
rent Lutherus & ſociorũ multi, mon-
ſtri huius natiuitate admoneri & po-
terant, & eos admonitos eſſe oppor-
tebat. Nunc verò diuinæ contem-
ptor clementiæ & bonitatis ſuo ma-
gno experitur damno illud Sapientis, *Eccleſ. 19.*
qui modica ſpernit, paululũ decidet.
Quæ enim mens tam ferrea, aut quis
tam æneus animus tanto non mõſtri
aſpectu ad pœnitẽtiam reuocaretur?
Quod tam lapideum cor, támque a-
damantinum non in ſummam reſol-
ueretur pœnitudinem? Væ tibi Ger-
mania, Væ tibi Gallia, quia ſi in Ty-
ro & Sydone emicuiſſent tot, tantá-

que diuinæ clementiæ lucidiſsima
ſigna, olim in cilicio & cinere pœni-
tentiam egiſſent, nec tuo, ſpretis di-
uinis commonitionibus, more, volu-
tabrum in ſuis criminibus, toties ad
pœnitentiã vocati & gratiam, requi-
Pſal. 23 ſiiſſent. Non ſic generatio quærentiũ
Dominum, quærentium faciem Dei
Iacob, ſed potius impij, quos vt pul-
uerem, proiicit ventus à facie terræ,
vt non inter pios connumerentur in
iudicio, nec recipiantur in conſilio
Pſal. 1 iuſtorum. Ergò nouit Dominus viã
iuſtorum, & iter impiorum peribit.
Neminem ideo decipiat aut vita lõ-
gæua, aut humanæ vitæ huius, quæ
paruo momento perit, felicitas. Au-
Pſal. 36 diatur perpetuo, illùdque ſemper no
ſtris inhæreat mentibus, iniuſti pu-
nientur.

ORATIO.

*IEſu Chriſte, Rex clementiſsimè & benigniſ-
ſime, paſtor animarum noſtrarum, qui tuis nũ-*

quam dees, sed misericors & propitius, errantes ouiculas propriis humeris ad caulas gregis tui portare dignatus es, qui peccatores recipis, & cũ illis pœnitẽtibus manducas: miserere familiæ tuæ iamdiu Vitulorum & Taurorum insultibus afflictæ. Tauri pingues, Tauri (inquam) Basan obsederunt eam, horum tota terra nostra impletur mugitibus, omnia vastant, nihil non dißipãt, mores hominum in peius corrumpunt, incendiis, rapinis, & sanguine omnia replent. Miserere lachrymarum: eorum te moueant dolores & luctus, qui in tua confidunt duntaxat misericordia, & paterna bonitate. Qui ergò tuis nunquam dees, qui te in tribulationibus affuturum pollicitus es, qui mortificas, & viuificas, pauperem facis, & ditas, humilias & subleuas: humiliatam ideo subleua Gallicanam Ecclesiam, subleuatósque in se tauros humilia: Extrema paupertate vexatã, thesauro tuæ benedictionis, (quæ diuites facit) dita: mortificatámque, ac iam semimortuam peccato, viuifica, virtutibúsque illustra. Conserua populum: Clerum in melius emẽda, vt pia plebs sibi commissa, pia, salutari & sacra doctrina, à synceris informata moribus, te purius colat ac veneretur, vt te omnes vnum effecti cor & anima vna, diligere, te amare, tibi seruire, tibi dignas laudes perpetuò rependere valeamus, Iesu Christe, qui cum Patre & Spiritu sancto viuis, & regnas Deus in secula seculorum. Amen.

De monstro, quod circa annum Domini 1543. in Belgis, vel (vt alij volunt) Cracouiæ ortum habuit infante scilicet nobilibus parentib' nato sed tetro admodũ, vt præsens figura mõstrare videtur.



QVid est, quod humanum genus his postremis diebus dicere cogatur, dum meliora probo, deteriora sequor? Cõspicimus omnes præteritorum temporum damna, & calamitates contemplamur, omnésque tantorum malorum circunstantias æqua lance ponderamus, condemnada im-

probamus ingenuè, approbanda vero nedum approbamus, sed summis euehimus laudibus. Verùm vbi manus operi adiiciendæ veniunt, piger statim clamat, foris est Leo in medio platearum: deuorādus sum, & sic qui in rebus anxiis maxima sæpe præbere solent consilia, ad eadem capienda & sequenda tardiores esse solent. Imitatur enim pessimos medicos, qui in alienis morbis iactāt se tenere medicinæ scientiam: verùm ægrotātes, seipsos curare non possūt: imo, si aliqua cogitatione tacti fuerint, vbi aliis sanitatē procurare se simulant ipsissimam mortem inferrunt, Talē fuisse nostrum vitulo monachum fabulæ monstrat exitus. Cùm enim se verè Prophetam alterum Heliam, ne Christum dicam, testatur enim se Vuormaciam ingrediente, vt illìc licentia adhibita Cæsaris de suis erroribus cum catholicæ doctrinæ professoribus cō-

ferret interfuisse multos applaudentes clamando. Beatus venter qui te portauit) aut alium quemuis non minorem multò profiteretur, pro mitterétque, paucos ante dies regnum Christi pacatissimum, ac omnium fœlicissima sæcula, nedum aliis sed ne sibi quid aliud præter summã & animi & corporis infelicitatem præstare potuit, & qui moriendo omnes ferinos mores se suppressisse videbatur, belluinos plusquã suis iure hæ-
2.Tim.3 reditario reliquit. Sic profectò impij proficiunt in peius, teste Apostolo, &
Lucæ.11. fiunt nouissima medicorũ huiusmo-
Lucæ.4. di peiora prioribus. Huiusmodi impe-
Matt.7. ritis medicis proponendum erat illud seruatoris, Medice cura teipsum: & illud, hypocrita eiice primùm trabem de oculo tuo. Si enim medico opprobrium est (ait Chrysostomus) qui nec alterius sanitatem, habet in potestate, nec suam, si alios velit curare, &

Chrisost. in Mattheum de opere imperfecto homel.17.

ipſe debilis ſit, quaſi teſtimonium imperitiæ ſuæ portat in corpore ſuo propriam paſsionem : quomodo paſtori nō erit opprobrium, alios velle eruere à peccato, & ipſum in maiorib⁹ eſſe peccatis quàm alios ? Hoc ergò ratū eſto, Chirurgũ qui imprudenter plagā ſanare tentat, potius aliud morbi genus adferre ſolere quàm ſalutem. Idipſum ſanè accidit iis, qui Luthero, non ſatis in ſpiritali chirurgia verſato, animarum ſuarum vulnera ſanāda imprudēter commiſerunt. Et quid non impietatum ſucceſsit ſuis perbellis concionibus? Vnde fomenta diſsidiorum inter Imperatorem & Gallorum Regem, niſi ex Auguſtanorũ, & eorum, qui ſuas partes tuebătur officina. Quis enim eũ inſontē ruſticanorũ cladis dicet? quibus, de capiēdis in principes ſuos armis conſilium ſe præbuiſſe & cæcis ipſis notum eſt? Quis enim alius ſigniferum Zuin-

glium armauit: si non eum Lutherus armauit? Quis Anabaptistarum ostij adaperuit rimulã, nisi Lutherus? Quis præterea tot de vera & genuina scripturæ sacræ interpretatione certamina in lucem edidit, nisi Vitulo monachus ille sordidissimus? Mala profectò arbor non potest bonos fructus facere. Quòd si miracula illius quæsierimus, nédum illud repetere opus erit, quo tentauit puellã dæmoniacã è Misnia (vt Surius refert) Vvitẽbergá adductã à dæmonio liberare. Verum cùm eam in sacrarium Ecclesiæ Parrochianæ adduci iussisset, eiusque exorcismos Diabolus floccifaceret, redire domum, & sacrario egredi cupiens, cùm à Dæmone impeditus, obserato ostio, cancellis ferreis securi perfractis, saluus non sine magna lætitia euasit. Quis non rideret tanti exorcistæ, seu (vt minùs verè loquar) Apostoli virtutem? Quis hominis nõ

Matt.7.

nouit

nouit insaniã: qui cùm se Deum ambabus vlnis tenere profiteatur, nihil in Diabolum habere potest imperij? Nec iniuria profectò. Non enim est seruus maior Domino suo. Tale ideo donum miraculorum non hæreticis, sed catholicis, conuenire potest. Hæretici, vt ait Tertulianus, Apostolorũ miraculis contraria habent: illi mortuos suscitabant, isti viuẽtes occidũt: illi sanitatem infirmis restituebant, isti sanos ad extremam redigunt infirmitatem: vt olim fecisse Cirolam Episcopum Arrianum illi, qui se, conductus pecuniola, cæcum fingebat, vt sibi ab Arriano Cirola visus restitueretur: qui ab hæretico cruce obsignatus visum reuera amisit.

Ioãn. 15

Tertul. de præscri. aduersus hæretic.

Gregor. Turon. lib. 2 cap. 3.

His similia profectò, & non meliora à Luthero farinæ similis viro, aut deteriora fieri decuit miracula: quorum, vt diuinitus admoneremur, aduentum, monstri præsentis natiuitas

hominibus mentis aliquid habentibus præmonſtrare potuit. De quo hęc refert Lycoſthenes. In die cõuerſionis Pauli in Belgico (licet nõ deſint, qui Cracouiæ ſcribant) natus eſt infans ex honeſtis parentibus, teter admodum, & horribilis aſpectu, flammeis & ardẽtibus oculis, ore, naribúsque bouinis, cornu figura, exertis ac prominẽtibus, dorſo pilis caninis hiſpido, Simiarum faciebus in pectora extãtibus, quà mammarum locus, oculis felium ſubtus vmbilicum, hypogaſtrio affixis, tetris ac minacibus canũ capitibus ad vtrúnque cubitũ, & pedis vtriúſque patellã antrorſum ſpectantibus, στεγανόπους, hoc eſt plani pes. Figura enim pedum cygni erat, cauda ſurſum reflexa, & recurua, lõgitudine vlnæ dimidiæ. Editꝰ in lucem, & tandem his emiſsis vocibus, *Vigilate, quia Deus veſter aduentat*, expirâſſe dicitur. Hæc ſunt de hoc formida-

bili monſtro Licoſthenis ex Caſparo Peucero excerpta verba. Huius memores ſunt etiam Munſterus in Coſmographia, & Caſparus Bruſchius. Et quis tanti ſpectaculi conſideratione non perhorreſcet? Quis, inquam, mortalium, hanc comminationem in tanta canum & Simiarum multitudine, corpus Eccleſiæ dilaniantium, nō extremo pauore concutietur? Quorſum tantam protuliſſet, adhuc natum monſtrum, vocem, niſi vt admonerentur mortales de futura vindicta, & caninos caſtigarēt mores? Quæ enim Germaniæ pars non tumultibus plena erat? Cum Galli Carignanum ſe lucrari putant, vtque limites regni, longè latéque dilatent, omnem operam nauant, diſponuntur inter Germanos canina capita, imò & fouentur, à quibus dilacerāda foret Gallia, Et dum de Bononiæ expugnatione agitur, de Galliæ ruina ab Auguſta-

Lycoſt. lib. de prodig. ex Caſpar. Peucero.

Munſterus in Coſmographia & Caſparus Bruſch.

nis cogitatur, quid ab Augustanis? imò non defuerunt ex Gallia nostra, qui tanto incendio præparando fœnum, ligna, & stipulas præberent. Cauendum profectò erat tunc temporis, vt hac etiam cauēdū est ætate, ne (vt Græcorum fert nota loquutio) materna quærentes, paterna bona amittamus. Non ergò maior est virtus acquirere, quam parta tueri. Canum ideo plena erant omnia: vigebant vna ex parte Lutherani, aliunde verò prodibant Zuingliani: illis addebatur tertius ordo Anabaptistarum: qui, simiarū instar, se omnia scire profitebantur, quæ animarum saluti cōducerent, ídque perfectiùs multò, quàm Luther, aut sui sectatores. Omnes isti, hæreticos se mutuis clamoribus exprobrabant, nemo illorum nō alios condemnabat, vt hodie condēnat, omnibus intereà se purum putū verbum habere, apertis faucibus, re-

clamantibus. An non vſurpare ſcripturas,&proprio eas interpretari ſenſu, ſibi fingere noua ſacramenta,diſponere ſibi ad libitum iura, legéſque polyticas,nonne hoc eſt ſimiam catholicæ agere?Dilacerare omnes aut mordere, boare vndique, perpetuis omnia clamoribus replere,nõne hoc eſt canes agere? An verò hæc omnia noſtri infideliter fideles quotidie fidelißima obſequia nobis offerant,iudicent boni,æquíque iudices.Hæc prę-monſtrâſſe monſtrum, cuius naſcentis voce de proximo domini aduentu caſtigãdis tot,tantíſque impietatibus, admonebantur mortales. Verùm cũ non eſſet illis commutatio,nec timerent Deum, contaminauerunt teſtamentum eius, ideo extendit manum *Pſal.52.* ſuam in retribuẽdo. Et diuiſi ſunt ab ira vultus eius, & quia paſtorum,nẽpe prælatorum & principum,erat,tot tantíſque canibus ſilẽtium imponere

eos flagris cædere, non autem vegetos ac pingues tueri ac retinere, Iure ideò, si in proprios dominos insurgẽtes viderimus, mercedem suis laboribus dignā accipiēt & Reges, & Principes, & Prælati. Iure profectò prædę suis esse poterunt, quos nimis opiparè nutriêre, canibus. At respondebũt fortè aliqui ex nostrorum polyticorũ grege, habere Reges sua prudentissima consilia: at terribilis est Rex ille Regum, qui aufert spiritum principũ, terribilis apud omnes Reges terræ. Passus est Valens canes Gotthos, eósque Arrianismo institui curabat, à quibus meritò casulæ inclusus postea concrematus est. Siue autem fortuitò siue data opera id Gotthi fecerint (vt Nicephor9 dubitare videtur) perinde est: hoc interea omnium consensu certum manet, hæreticorum & canũ fautorem Valentem, pessimé debitas luisse pœnas. Quidni? Ipse enim

Psal. 75

Socra. histo ec cles. lib. 1. cap. 27. 28. 29. 30. & 31.

Niceph. calixt9. lib. 11. cap. 50.

permiſerat omnibus, quos vellēt Deos colere, vt ex Theodorito & Socrate colligi poteſt. Iure ideo recepit moriens mercedem, quam ſibi peſsimis viuens acquiſierat meritis. In ſcripturis ſacris legimus aliquãdo Acabum nutriuiſſe Sedechiam, ac magno numero Pſeudoprophetas fouiſſe, nec 3. Reg.
defuit Sedechias, mortẽ ſibi ſuo peſsi- 22.
mo infligens conſilio, hunc enim ſequutus, ſpreto pij Micheæ cõſilio, ſagitta ſauciatus vitam cum morte cõmutauit. Amici ergò (ait Seneca) ſi feras vitia, facis tua, ita ſubditorum ſi differãt præpoſiti Principes pœnas, eas ſuis, aut filiorũ ſuorum capitibus inſperatò effundẽdas aggregãt. Peccâſſe filios Heli teſtãtur libri Regũ, at 1. Reg.
nõ defuit iuſtus iudex Domin⁹ qui & 4.
Patris indulgentiã, & filiorũ duritiã acriter caſtigaret. Deus æmulator (ait Nahum) & vlciſcens Domin⁹, Dominus habens furorem: Vlciſcens Do-

minus in hostes suos, & irascens ipse inimicis suis: increpans mare, & exsiccās illud, & omnia flumina ad desertum deducens. Ante faciem eius quis stabit? & quis resistet in ira furoris eius? Indignatio effusa est, vt ignis & petræ dissolutæ sunt ab eo. Castigās enim impios solus clamare potest, si acuero vt fulgur, gladium meum, & iustitiā arripuerit manus mea, reddam vltionem hostibus meis, & iis, qui oderunt me, retribuam. Inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus deuorabit carnes. Solus (inquam) potens est dicere. Vacate & videte, quoniam ego sum Deus, exaltabor in gētibus, & exaltabor in terra. In nomine ergò illius omne genu flectatur: omnes gentes, omnésque gentiū gradus seruiant illi. Horum interea malorum causam præstant felini, inguinarésque oculi: Nam vt felium visus semper insidias molitur, & ex insidiis

Nahum 1.

Deut. 32

Psal. 45

totum corpus,ita huius mõſtri forma
hæc monſtrabat,ventris & cupiditatis
cauſa,& venereis explẽdis voluptati-
bus, nihil non parari his diebus, feliũ
more,inſidiarum. Neque enim aliũde
prodiêre tot infelicitates. Eo effectũ
eſt,vt inſidientur multi in abſcondi-
to,vt rapiant pauperem, rapere pau-
perem,ait Pſalmographus,dum attra- *Pſal. 9.*
hit eum. Hinc hæreticorum oculi in
pauperem reſpiciunt,quaſi in ſpelun-
ca ſua inſidiis mortem iter tranſeun-
tibus parans. Domine ſaluos nos fac,
& pſalmos noſtros cantabimus om-
nibus diebus noſtris in domo tua. Ne
que eſt,cur glorientur Amalecitæ ob
conſtitutas populo Dei inſidias, non
enim dormitabit,neque dormiet cu-
ſtos Iſraël: ſed ad quartam vſque ge-
nerationem filiis ſuis illatas iniurias *1 Reg. 15*
repetet. Ne quis glorietur in aſtutia
ſua: ſemper enim virum ſanguinum *Pſal. 5.*
& doloſum abhominabitur Domin⁹,

Psal.139 ac virum iniuſtum mala capient in
interitu, quoniã faciet Dominus iudicium inopis, & vindictam pauperũ.
Sic enim nullum violentum durabile, vt breuis monſtri, huius vita præmonſtrauit. Vna eſt duntaxat, catholicorum vita peſsima, qua Hæreticorum vita dilatatur, aliter in rem malã
Cyprianus lib. 1. Epla 3 ad Cornelium. ruitura. Nam (vt ait Cyprianus) hæc eſt verè dementia non cogitare, nec ſcire, quia mandacia non diu fallant, noctem tandiu eſſe, quandiu eluceſcat dies: clarificato autem die, & oborto Sole, luci tenebras & caliginẽ cedere, & quæ graſſabantur per noctem latrocinia, ceſſare. Hoc profectò in lege veteri promittebatur obſeruantibus diuina præcepta. Auferam malas
Leuiti. 26. beſtias à vobis, & gladius non tranſibit terminos veſtros. Oportet ideo hæreſes eſſe, &, vt mali probentur, ac
1. Cor. 11 ventilabro repurgetur areæ ſemen, & vt qui probati ſunt manifeſtentur in

nobis. Audiendum ac diligenter obſeruandum eſſet illud Hilarii clamãtis. Tempus eſt loquendi, quia iam præterit, tempus tacendi. Chriſtus expectetur, quia obtinuit Antichriſtus. Clamẽt paſtores, quia mercenarii fugerũt: ponamus animas pro ouibus, quia fures introierunt, & Leo ſæuiẽs circumit. Ad martyrium per has voces exeamus, quia angelus Satanæ tranſfigurauit ſe in angelum lucis. Intremus per ianuam, quia nemo vadit ad patrem, niſi per filium. Manifeſtentur in pace ſua Pſeudoprophetæ, quia in hæreſi & ſchiſmate manifeſtabuntur probati. Suſtineatur tribulatio, qualis non fuit à conſtitutione mundi. Sed intelligantur breuiãdi dies propter electos, His armis firmiſsimis piorum armẽtur præcordia, vt perpetuò incõcuſſa, nullóque pauore turbata videantur, aut ſint.

Hilarii contra Conſtãtium Auguſtum iam vita defũctũ.

ORATIO.

TVa nos Domine pace custodi perpetua, & ab inimicorum tuere insidiis. Circundederunt nos canes multi, consilium malignantium obsedit nos, aperuerunt super nos os suum, sicut Leo rapiens & rugiens. Salua ideo de ore Leonis, & de manu canis vnicam nostram. Quid? imò vnicam tuam columbam, tuam sponsam & electam tuam quam, vt omnis ab ea procul esset macula & ruga, mũdâsti proprio sanguine. Huic Felini & Leonũ insidias parant oculi, à magno Leone Diabolo insidiis parandis instructi: hi carnales canes venefici ac impudentes, animales spiritum non habentes, quorum Deus venter est, & gloria in cõfusione eorum. Conserua ideo nos Domine, quoniam speramus in te: in te sperauerunt Patres nostri, & liberâsti eos: in te sperauerunt, & non sunt confusi. In te ideo sperabimus & nos, & non confundemur in æternum. Saluam fac familiam tuam Domine, & benedic hæreditati tuæ, & rege ac extolle eam in perpetuum. Nequando dicat eorum impietas, vbi est Deus, in quo tandiu spem suam constituerunt? Mortifica ideo membra nostra, vt tandem vitiis in nobis eradicatis, hæresi canina, qua & hominum animi, & corpora dilacerantur, & à vera vnitate distrahũtur, extincta, omnes te vno ore in æter-

nũ laudare, & benedicere valeamus, qui in Trinitate perfecta viuis & regnas Deus in secula seculorum Amen.

De monstro quod Lutetiæ Parisiorum ortum habuit anno Domini 1570. 21 Iulij, Geminis scilicet genitalibus hærẽtibus, opposita capita, pedes & brachia habentibus.



QVo me vertam, de tãto dicturus portento? quibus vti verbis potero tanto spectaculo raptus, & vnde exordium sumam? cogor Paulina vti exclamatione ac dicere. O altitu-

do diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ

Rom. 11. Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. Nam reuera admiratis, (ait Chryſoſtomus) eſt hic ſermo, non omnia ſcientis. Quis enim cognouit ſenſum Domini, aut quis cōſiliarius eius fuit? non ſunt viæ illius viæ noſtræ, nec ſemitæ illius ſemitæ noſtræ, imò tãtũ diſtãt viæ noſtræ à ſuis, & noſtræ cogitationes a ſuis cogitationib⁹, quãtũ diſtat cœlum à terra. Id patitur, profectò in me animus, quod de Aenea, his verbis ſcribit latinus Poëta.

Chryſoſtom⁹ in Epiſt. ad Romanos Homil. 20.

Eſaiæ. 55.

Vergil. lib. 4. Aeneid.

Ardet abire fuga, dulceſque relinquere terras,
Attonitus tanto monitu, imperióque Deorum,
Heu quid agat? &c.
Audeat affatu? Et quæ prima exordia ſumat?
Atq; animũ nunc hûc celerẽ, nunc diuidit illûc.
In parteſque rapit varias, pérque omnia verſat.

Nam loquenti mihi fortè mortaliũ multi indignabũtur, ac in inſontem quod ſui muneris eſt præbentem, incandeſcent ſpeculatorem. Econtrà

verò dies boni nuntij eſt, ſi enim ta-
cuerimus, arguemur profectò ſceleris. 4. Reg. 7.
Meminiſſe ideo oportet nobis com-
miſsi negotij, nobíſque datæ curæ, eò
ſanè ſuper muros Hieruſalem conſti-
tuti ſumus cuſtodes, vt diu noctúque
clamemus. Propter Sion ideo non ta- *Eſaia. 62.*
cebo, & propter Hieruſalē non quieſ
cam, donec egrediatur, vt ſplendor,
iuſtus eius, & ſaluator eius, vt lampas
accēdatur. Perpetuò mihi videtur au-
res obtundere illud Prophetæ. Cla-
ma, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vo-
cem tuam, imò & trementem hominū
pati cōtumelias, cogit ſpiritus Domi-
ni, quaſi ignis in oſsibus exæſtuans.
Nunquid tacere veritatem, mendacio
conſentire eſt? Quis enim Regis aut
Imperatoris (vt cum Chryſoſtomo lo- *Chriſoſtom. de opere imperfe. in Matt. Homil. 25.*
quar) ſeruus, videns ciuitatem ab ho-
ſtibus expugnari, ſi neglexerit defen-
dere, non eam tradidiſſe videbitur?
Nos ideo, ciuitatem ſupra montem

constitutam non pro viribus tueri ac defendere conabimur? aut non pro virili defendentes, torpentes imò & muti, fideles Christi serui, aut esse, aut videri poterimus? Non ergò tam proposita contemplētur virtuti pericula, quàm finem, quo ad virtutis coronā, & triumphum peruenitur.

Esai. 8. Psal. 21. Psal. 51. Ecce ego, Domine, mitte me: narrabo sanè nomen tuū fratribus meis, ac docebo iniquos vias tuas, ac ex impiis aliqui fortè conuertentur. Arrectis ideo auribus mortales hanc Gallicanæ plusquam miseriæ intelligite tenuissimā ἀπογραφὴν seu descriptionē.

Primùm enim etsi nullis aut rationibus, aut coniecturis probabile esset, hanc Francorum nationem ex Phrygio sanguine productam fuisse, quia etsi scriptorū ferè omnium veterum testimoniis eam fuisse vetustissimam, & præclarissimis viris ornatam constat, defuisse tamen scriptores, qui e-

gregia eorum facta conſcriberent, remitterentque in posteros cõtemplãda, certo eſt certius vetuſtiſsimámque fuiſſe familiam, armíſque inſtructiſſimam, pietatíſque & virtutis amatricem, vt egregiè Iulius Cæſar commemorat. Quantùm autem antiquitus ſuis parere principibus dilexerit, ex Alanorũ caſtigatione colligi poteſt: quos armis ab obedientia Senatus Romani auulſos in ditionem Romani nominis reuocârunt. *Paulus Aemil. ſtatim à princip. 1. libri*

Et quia aduentu ſummi Regis mediatoris noſtri Ieſu Chriſti diſsoluẽdum erat ferreum illud, ac teſtaceum Romanorum imperium, vt ex multorum Regũ vocatione Chriſtus conſtitueret ſibi imperiũ ſpiritale, eſſéntque Reges nutritij ſui, & Reginæ aluminæ ſuæ. Diuina dignata eſt bonitas Francorum Monarchiam circa annum Salutis 400 ſub Pharamõdo Marcomiri filio, primo nationis huius *Daniel. 2.* *Paulus Aemil. lib 1.*

Rege inſtituere. Oportebat enim eã,
quæ iamdiu Chriſto ſeruierat, à Ro-
manorum Tyrannide liberari. Ve-
rùm, vt vetuſtiſsimam nationis huius
pietatem referam, adducam primò I-
renæi teſtimonium, quo declarat no-
Ireneus lib. 1. præfati. men ſuum apud Celtas eſſe notiſsimũ,
vt intereà multa de Dioniſij Areopa-
gitæ, & ſociorum aduẽtu, ac inter nos
prædicatione, quæ ſingula referre per
moleſtum eſſet, ſilentio prætereã. In
Gallia intereà Arelatæ Trophimum
Pauli diſcipulum prædicâſſe teſtan-
Petrus Cluniac. tur Petri Cluniacenſis & multorum
aliorum ſcripta. Neque dubium eſt,
circa centeſimũ Domini annũ Tro-
phimi & multorum aliorum riuulos
Euſeb. hiſt. Ecclesiaſt. lib. 5. cap. 23. lõge latéque fuiſſe diffuſos. Gallici cõ
uentus, ob diſsidium de Paſcate cele-
brando, mentionem facit Euſebius, in
eo conuentu Irenæum Præſulẽ fuiſſe
ſcribit.

Non inter omnes Galliæ Eccleſias

inferiorem fuisse Massiliensem, testatur sanguis sub Diocletiano effusus, vt egregiè Regino commemorat. Pictauensem præterea Ecclesiã floruisse Hilarij temporibus, qui Galliam totam ab hæreticorum incursibus tutatus est, ex Antonini historia colligi potest: vt interea taceam quæ de Diuo Martino, quem Turonum populũ docuisse certum est, & Sozomenus & Seuerus Sulpitius veridicè memorârunt. Vix Pharamondus annis vndecim regnarat, Clodion annis octodecim Merouæus decem, & Childericus primus sex & viginti, cum diuina bonitate Clodouæus primus francorum Regum Christianus ad veræ pietatis cultũ, diuina bonitate, vocatur. Tũc enim, velut cælesti numine hanc nationem respiciẽte, pietatis totius splẽdore cœpit palam & publicè longe latéque dilatari Christi regnum.

Anton. lib. 14. cap. 23.

Sozom lib. 3. cap. 13. Histor. Seueri Sulpitij.

Prælio aliquando decertaturus erat

Clodouæus aduersum Alemanos: verùm cum illius exercitus grauiter cæderetur, motus pugnæ infelicitate, humanóque præsidio destitutus, cœpit inuocare, sublatis in cœlum oculis, diuinam opem, his fermè verbis affatus. O Domine Iesu Christe, quem vxor mea Clotildis colit, veneratur, atque adorat, tuam opem deuotus imploro. Quòd si mihi hoc certamine victoriam dederis, tu mihi solus eris Deus, te colam, in te vnum credam, te Deum verum & viuum adorabo, tua sacra sequar, tuóque nomine baptizabor. At vix orationem & votũ perfecerat, terga vertit Alemanorum exercitus, quo fracto victor Clodouæus domum rediit, nihil magis in animo habens, quàm vt votum suum expleret. Quàm autem grata fuerit eius conuersio & Clotildi christianissimæ Reginæ, cui nihil optatius fuerat, ac quæ nihil diligentiùs curârat,

quàm vt virum veteri paganiſmo addictũ, totámque Gallorum nationẽ, Chriſto conſecratam videret: verùmetiam Diuis Remigio, & Medardo piíſque omnibus meum non eſſet referre: ſat eſt conſtare eo ex tempore Francorum Reges & Principes, eo Chriſtianiſsimo, omnium nationum conſenſu, donatos fuiſſe nomine, ne vno quidem à recto tramite recedente. Gotthos & Vuandalos ac Hunnos durè & acriter Galliam inſeſtâſſe Honorii Imperatoris temporibus, Eccleſias multas ac vrbes deuaſtâſſe, piorũque multos ſacrato decorâſſe martyrio, & Hilarii, & Sigeberti, poſt Hilarium teſtãtur ſcripta.

Hilar. contra Conſtãt. Auguſt. defũctũ Sigeber. Chroni.

Nemo eſt qui neſciat quãta animi dexteritate, quantóque robore, Arrianorum impietate eiecta & Gotthorũ, Regum, & Principum ac nobilium noſtrorũ, reſtitutus regno Chriſti ſit ſplendor ſuus. Eutichianam impieta-

Chronic. Iuonis. & Paulus Aemilius in vita Clodouei

Sigeber. Chronic. Zonaras tom. 3 de imperio Anasta. Dicori. Niceph. calixtus lib. 16. cap. 35.

tem (teſte Sigeberto) Almindarus Frã corum Rex quem Zonaras vocat Ala mundarum Agarenorum principem, tantæ impietatis tentatum Seueri hæretici induſtria, at fruſtra, prorſus explosam fuiſſe, ac in nullo prætio habitam, Priſcorum omnes teſtantur hiſtoriæ.

Hanc Sarracenorum diu multúmque afflixêre perſequutiones. Hanc prætereà Albigenſes conati ſunt, & Vualdenſes radicitus euertere, & tandiu, tantóque principum ac populorũ conſenſu conſeruatam fidei Catholicæ vnitatem diſſoluere, eneruare, & omnino perdere. Nunc exterorum bellis, nunc inteſtinis diſsidiis, eam Satã conatur proſternere. Verùm æternus ille Regum & Regnorum fũdator, qui ex omnibus floribus terræ ante annos 1000 elegerat ſibi lilium vnum, eam non eſt paſſus aut Barbarorum, aut hæreticorum, aut Pſeu-

4. Eſdræ 5.

do christianorum insultibus ab ea v-
nitate seuocari. Viguere ideo semper
vna cum fide Catholica Regum Frã
corum sceptra & coronæ, procul sem-
per abacta fuere ab eis & subditorum *Numer,*
& inimicorum imperia, fuitque per- 18.
petuum hucusque salis pactum ac sẽ-
piternum, valuitque eius Salicæ legis,
piè ac sanctè pro regno in sua vni-
tate conseruando, institutæ.

Neque enim seminãt lilia nostra, neque nẽt, vt quondam respondisse Regem Francorum, Anglorum Regi notum est. Tanto ideo, támque felici confirmati temporum successu, tótque pro fide cõseruata Catholica donati beneficiis, quis non in tanta vnitatis catholicæ dissolutione, & in tanta diuisionis vnitate, futurum instare felicitatis huius finem iure suspicabitur, ac pertimescet? Et quid aliud minatur Dei lex populo Dei diuinæ voluntati parum obsequẽti, quàm

constituã inimicos tuos in caput tuum, & tu eris illis in caudam? Plantabis vineam, & alter comedet labores & fructus tuos: vxorem duces, & alius dormiet cum ea. Et in summa, quid aliud pessimi ominis nõ minatur Moses in capita eorum, qui à vera ad falsam pietatem deficiunt? Adde
1. Reg. 3. quod scriptum est, Qui me honorificauerit, glorificabo eum, & qui contemnunt me, erũt ignobiles. Vtinam hæc audires patria charissima, vitámque ac mores corruptissimos in melius mutares. Non procul abesset patris aut tutoris tui manus auxiliatrix, reipsa præstaret, quod se præstiturum his pollicitus est verbis. Si populus meus audisset me, Israël, si in viis me-
Psal. 80 is ambulâsset, pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliâssem, & super tribulantes eos misissem manũ meã. Iam iam sepulta essent hæreticorum omnium flagella: nunc non tot spo-

liata diuitiis, destitutáque egregiis proceribus, strigosa, macilēta & squalida iaceres. Adesset profectò nunc, tuísque instaret lateribus tui amantissimus Princeps Guysiacus, viueret Mommorentius, egregios tecum haberes Martigiũ, Cossæum, Monsaletium, & Tarritam, ne silentio prætercam Antonium Borbonium Nauarrorũ Regem, nuper ab hæresi egressum, fidei Catholicæ restitutum, ac immatura satis morte peremptum: vt intereà infinitos alios syncerissimos christianos passim in vrbibus hæretica & barbara plusquam crudelitate enecatos, subticeam.

Haberes præterea Ludouicum Gõzagam tuum, Niuernensium Ducem, egregiæ synceritatis principem, vt animo est integerrimo, & corpore, etiam integrum. Verùm diuina in tua scelera accensa indignatio te tot, tantísque meritò priuauit ac spoliauit

proceribus. Et quid aliud minabãtur Prophetæ verba clamantis, auferam à Hyerusalem & à Iuda, dicit Domi-
Esaiæ.3. nus, Sapientem & senem & Prophetam, virum fortem, & bellatorem, dabòque hanc misertimam gentem effœminatis & pueris gubernandam.

Iam satis supérque annis decẽ experta est Gallia, quantum fructus & vtilitatis adferat spreta Ecclesiæ Catholicæ doctrina, omnia omnium hæreticorũ somnia, purissimi verbi Dei loco, imprudenter admittere. Hoc satis populorum clades, Vrbium ac Ciuitatum ruinæ, templorum spoliationes, omniàque cum diuina, tum humana, supérque testantur, ac abundè posteris prædicant. Primis tẽtata præstigiis, ac delusa fascinationibus, excusationem ac veniam quodammodo mereri videbatur, nemo enim Caluinistarũ non sitire videbatur regni Christi amplitudinem, genuinam &

perfectam morũ correctionem. Verùm, ex quo à verbis ad verbera peruentum est, & quæ verbo & exemplo duntaxat, Apostolorum & Martyrũ more, tractanda erant, armis tractari cœpta sunt, insidiis, & omnibus, quibus humana fieri impietate potuit, flagitiis, quonam meliori egemus testimonio, aut qua certiori opus est probatione, vt constet hoc diu iactatum Euangeliũ nihil prorsus habere, præter vmbram, & frigidissima verba? Id piis omnibus certum esse non dubito: ac ne hæreticos quidem id latere puto, tam sæpe expertos diuini brachii magnitudinem, tantúmq; robur. Hoc perpetuis nationibus narrabit Pictauorum ciuitas, diuina Ducis Guysiaci, ac fratrum, multorúmque cum Gallicæ, tum Italicæ nationis procerum, adiuta laboribus, magis quàm humana, ab hæreticorum liberata persequutionibus. Idipsum auxilii donũ

Tholosanorum, Lugdunẽsium, Aurelianorum, Carnutensium, & Turonum Ciuitates narrabunt perpetuò filiis suis, vt cognoscat generatio altera. Non possum tacere admirabile Parisiorum ciuitati præstitum auxiliũ. Eam nunc in penetralibus hæreticorum multitudine plenã, ne aut spoliaretur, aut occuparetur, tutata est diuina potentia: nũc obsessam vndique nutrit, fouet, ac recreat, in ea perpetuò pietatem, ac religionem conseruat, eam Principi suo, suúmque Regem sibi ab omni periculo protegit: vt interea taceã Rhotomagi, & multarum aliarum ciuitatum miram profectò liberationem.

Psal. 77

His omnibus maceriæ, qua Catholici hæreticis iungebãtur, dissolutionem, Deum ipsum fecisse nemo nescit. Eo enim se venisse testatur, vt gladii virtute verbi sui, pium filium, ab impio patre diuideret, ne quid piis

Leuit 16

commune ſit cum tabernaculis impiorum. Eò ſpectaſſe omnia, quæ & diuino auxilio, ac regia pietate præceſſêre, bella, palam eſt. Paratiſsma fuiſſe à Deo nobis collata remedia, multorum effertur vocibus, ac bellorum ſatis ſupérque monſtrabãt exitus feliciſsimi, victoriæq; optatiſsimæ, niſi tanta criminum noſtrorũ obſtitiſſet turba, & multitudo: quo fit vt iure in nobis impleatur illud Sapientis, pluſ- *Eccleſ.*
quam ſapienter dictum. Cùm con- *18.*
ſummauerit homo, tunc incipiet: & cũ
quicuerit, operabitur. Non intereà *Pſal.*
dormitat, neque dormit, cuſtodiens *146*
Iſraël Dominus, illiúſque diſperſiones congregans. Cõſeruat ac retinet Chriſtianiſsimum Regem noſtrum Carolum nonum in ſuæ fidei vnitate, matrem ac fratres chariſsimos, Sorores, maximúmque principum numerum, catholicæ religionis tutores, diuinitus retinet & conſeruat: non

destituitur pastoribus, piis in fide catholica conseruandis, & impiis à sua impietate reuocandis. Quid plura? nedũ tot donati beneficiis ad vnitatẽ cõseruãdã reuocamur, eã inquã, quæ vera est pietas, & quæ nihil prorsus impietatis secum coniunctum habet: verumetiam monstri huius perhorrẽda natiuitate, nequid nobis cõmune sit cum carnalium coniunctione, clarissime admonemur. Huius ideo aduentum primo recenseamus, postea dicturi de iis, quæ quibusdã visa sunt significari, monstri huius natiuitate, postremò nostrum quantulumcũque sit, seu potius verbi Dei, quod maioris est multò ponderis, sub finem tractatus adidturi iudicium. Anno ideo 1570. die 21 Iulij, nati sunt Lutetiæ, ex parente Petro Germano, dicto paruo Deo, infimæ sortis, nempe baiulæ, & Matre Matthæa Pernella, paruuli duo quos natium vnitas, & vnus vmbili-

cus, mutuo coniūgebat. Horum corpora, & principibus, & populo palam & publicé monſtrata fuiſſe, non ſine maximo terrore, omnes nôrunt. Hinc hominum, tantū ſpectaculum conſpicientium, varietate, varia oborta iudicia. Alius atque alius, alia atque alia, portendi puerorum huiuſmodi natiuitate iudicabat. Alius de pace, cuius concluſio tunc tēporis in procinctu erat, multa ac varia verba faciebat. Sic enim Gallorum natio, iamdiu curioſitati dedita, aſſueuit de rebus omnibus iudicium ferre: alius in pacis mediatores, vt paulò ante monſtri huius natiuitatē, cùm iam ad Britanniæ fines iter pararetur, quidā carmina quæ ſequuntur, euulgauit.

Quis dubitat, quin pax tā lōguo tēpore tracta
Mox ſit maiori corruitura malo?
Hoc iam pacifices protendunt ōmine læuo:
Claudicat hic pedibus, ſed ſedet ille malè.

Hæc enim carmina in Bironis & Malaſsiſii capita reiiciebat, quibus de

pace tractanda Rex negotium commiſerat. Sic profectò palam agitantur verba circa iudicia ſignificationũ huiꝰ mõſtri, quæ partim leuitate, partim timore, corda hominũ palam exerebant. Non meum eſt laudare hominum leuitatem quorundam, aut aliorum acrimoniam, amo Regẽ ac Principem Deum timentem, pietatis ac virtutis totius amatorem, vnitatíſque plebis ſuæ arctiſsimum conſeruatorẽ: cuius labore & induſtria aliquando fieri poterit, & vt populus melior reddatur, & ditior. Amo ac veneror Regis huius pios, matrem, fratres, & Sorores, nullius nõ virtutis amatores. Pios perpetuò laudabo ſeruos, ſiue Birones nomine, ſiue Malaſsiſii ſint. Satyricũ non amo, aut mordacem humorem, vnitatem, pacem & ſynceram concordiam prædico, qui volet alterius conditionis hominem, alium quærat præter Sorbinum. Neque enim me latet illud

illud Propheticum. Speciosi pedes euangelizantium pacem, annunciantiũ bona. Nec prædicta carmina hûc inseruissem, nisi & lippis & tõsoribus notissima fuisse pro certo haberem. Præterire non possum Aurati nostri aurea plusquam carmina, quæ huic nostro operi adiungenda optimum fore duxi certè: vt sua carmina populis nostris Dei timorem, ac aduersus futuras miserias prouidentiam Christianis hominibus, dignũ egregia sua lyra sacræ prædicationi iũcta, nobiscũ cõcionentur. Sic enim videmus Clementem Alexandrinum ex Poëtarũ veterum fragmentis, aliter fortè ad nos haud peruẽturis, multa, quæ pietati inseruirent, excerpisse.

Vnde noui genus hoc monstri? quæ dira libido
Naturæ peruertit iter? partumq; creauit
Infandum, hærentes genitali parte Gemellos,
Cætera perfectas discreto corpore proles,
Opposita oppositis spectantes oribus ora,
Alternásq; manus alternáq; crura pedésq;

Vna alui cùm sit compages, vnica rima
Subter, & è summa qui prominet vnicus aluo
Vmblicus, certi neq; sunt discrimina sexus
Vlla, nisi secto quod corpore dicitur alter
Signa tulisse maris: facieśq; virilior illi
Fecit vt Androgyni species noua posśit haberi.
Coniectura procul nec abest, quin dicere posśim
Illum illũ Androgynũ nostri per carmina vatis
Plus quàm bis denis & quinq; prioribus annis
Ostensum nobis, vt cætera multa malorum
Signa, decẽ quibus est iam conflictata per annos
Gallia, certa notis monstrante Deo omnia clarè
Antè diu, nisi mens Gallis tam læua fuisset:
Cura quibus non vlla Dei, Superûmq; parati
In caput exitij nos per sua verba monentum.
Nã vox clara Dei, Superûm vox clara loquẽtũ,
Somnia, prodigia, atq; alia omnia cætera rerum,
Attendat si quis pietate insignis & arte.
Nec lõgè quærẽda fides. Tu CAROLE testis,
Testis & ipse tibi, quantum sit pondus in illis.
Quæ iam sæpe Deus tibi per tua visa secundus
Atq; aliorum alias species, interprete Vate,
Expositas cecinit miris euentibus antè.
Vt nuper vano tibi cum non ore reperti,
Atq; tibi, atq; tuo Fratri tua signa ferenti
Victrices lauros tres vno ostendimus anno.
Hei mihi nũc quid agã! tũc læta instare canebã
Gratus apud proceres Vates: nunc tristia contrà
Monstri euẽta canens inuisus habebor & excors

Atridis Calchas, nisi quis me seruet Achilles.
Sed qui mõstra iubet me exponere, me iubet in se
Et sperare Deus, qui te, Vatemq; tuetur.
Ergò triste nefas, cui tota Lutetia testis.
Fatalis Gemini fatali tempore nati,
Quo de pacis agi pactis iam Regis in aula
Cœptum erat, aduersas coituras fœdere partes
Indicat extremo, extrema vt coniuncta duobus.
Crura sed alternis conserta, pedesq;, manúsq;,
Portendunt aliquid socia inter fœdera pugnæ
Pugnãdæ ante suum quàm clauserit exitus annũ
Nescio quà extinctis redeuntibus in noua flãmis
Semina bellorum. Victoria, CAROLE quorũ
Te manet, atq; tui super hac noua cantica vatis:
Pluráq; quæ fidam poßim tibi dicere ad aurem
Visa secunda mihi super huius sortibus anni.
Monstra sed vt repetã, nõ est, sine numine, non
Fatales Gemini fatalia nomina quòd sunt [est,
Lodoici sortiti, vt patrimus omine miro
Nomen vterq; habuit, geminus quod vterq; tule-
Lodoicus nomen Regis, quo sanctior alter [rũt
Non fuit, hoc sanctus aliquid, regnóq; minatur.
Præcipua tamen est dignum perpendere cura
Lodoici nomen vulgari voce sonare
Legem, per geminos vt Lodoicos fore leges
In regno geminas infido fœdere iunctas
Numina nos moneant: quarum concordia longa
Non magis eße queat, Geminus quàm vita duob⁹.
Quorum impefectos par imperfecta per artus

vis & vita fuit paucis finita diebus.
Signa sed euentus monstri monstrosa præibunt
Imbres immodici, fluuiisq; tumentibus altè
Diluuies, cœlo Androgynum, vt canit ille, creatū
Plorante, à multis quem mors optata sequetur:
Sera nimis, sed grata tamen, laturáq; multis
Summam lætitiamq;, atq; inter dura salutem.
Omnia quæ eueniant tibi, Carole, fausta, tuæq;
Et Matri, & Fratri vtriq; ipsorúmq; Sorori,
Atq; omni populo, Superos pius augur adoro.

Et quia multi de pace instante, ac varij variè loquebātur, non pigebit profectò vnum hoc inter alia referre: non defuisse qui ex pueri natiuitate, dextra satis supputatione colligerent, eodem fermè tempore, quo post victoriam diuinitùs Regi vigilia. D. Francisci datam, de pace cum hæreticis ineunda (id enim sub initiū mēsis Nouembris mihi ipsi patefescit egregia Princeps Ludouica á Borbonio Fontiseuraldi Abbatissa, cum illuc essem vt suis satisfacerem votis, ei, totique gregi suo dies aliquot concionarer) agi inciperetur, hoc monstrum

conceptum fuiſſe palam profiterentur. Multis id nō carere myſterio palam profitentibus: hoc autem vnum aureum pluſquā ſcriptū Aurati noſtri, tacere non potui.

DE PACE.

Iuppiter è ſummo Gallos miſeratus Olympo,
Troas vt olim annis bella tuliſſe decem:
Ad ſolitum ſuperis conuentum ritè vocatis,
Quæ mens cuíque ſuper pace ſit, ipſe rogat.
Mars vult bella: Venus pacem: ſententia Diuûm
Diuiditur: parti quíſque fauétque ſuæ.
Cúmque dies eſſet conſumptus & vnus, & alter,
Tertius, & plures, nec foret vlla quies:
Iupiter vt parti faceret ſatis æquus vtríque
Fiat, ait, quod Mars, quod petit ipſa Venus.
Mars Veneri, Martíque Venus iungatur, vt olim
Lemnia cùm iunctos uincla habuêre deos.
Quódque erit hinc natū bellum ſit, ſi patris ora
Martis habet: ſit pax, ſi gerit os Veneris.
Pacta placent ſuperis: ineunt ſua fœdera lecti,
Márſque Venúſque: grauis parturit inde Venus
Conueniunt ſuperi diuerſa parte frequentes:
Suſpenſóſque omnes exitus vnus habet.
Mira, ſed acta, loquar: mōſtrū editur vrbe ge-
Parrıſia: ſic pax facta, ſed Androgyna. [mellū

Ingenuè affirmare auſim nec de-

um latere calamitates nostras, nec sibi patriæ nostræ iacturā gratam esse, qui nihil non agit, vt nos ad pœnitudinem & vitæ emendationem prouocet, adeo vt cum Solone dicere valeamus.

Solonis elegia.

Non Vrbem superi cupiunt euertere nostram
Et nobis, nisi sint numina læsa, fauent.

Satius ideo est sibi vndique timere, ne minima securitate fulti, baculo quasi arundineo, miserè concidamus, quàm cum Epicureorum familia nobis perpetuam felicitatem, pacem imprudēter polliceri, donec miseriarum pondere presi ad extremā redigamur infelicitatem. Esto, humanæ cōceptionis errore effecta fuerit horum monstrosa puerorum coniunctio. Quid impedit (vt extremum huic negotio addatur iudicium) quò minùs & naturæ deffectus agnoscatur, & per eũ, si quid in nobis monstrosum fuerit, nedum agnoscatur, sed & ex scriptu-

ris ſacris, adhibitis regiminibꝰ, in melius reſtituatur ac reformetur? Quid ſi tempore eadem & monſtri & pacis generatione admoneamur, ne ſub pacis amplectandæ prætextu inferiores partes hoc eſt voluptates, réſque terrenæ ac tēporales, quæ perpetuô ſpiritalibus ſubiici debent, Catholicorū animos, hæreticis impietatibus coniūgant? Quæ enim deterior vnitas eſſe poteſt ea, quam carnalia quædam cōmoda conficiūt? Hæc prædonum, nō Chriſtianorum, eſſet vnitas: quorum quanquam omnium eo ſpectēt affectus, vt latrocinia ſua exerceāt, vimque omnibus inferant, nemo tamen eorū non propriæ magis, quàm ſociorum conſulit vtilitati. Piorum verò vnitas, nulla habita peculiaris vtilitatis ratione, non lucri, non dignitatum captandarum ſpe, non voluptatū illecebris delinitur, ſed diuina charitate inflāmatur, Principi ſuo ac præ-

positis obsequẽs, sub vna fide eodémque baptismate incõcussa & immobilis permanet: non gladio nec fame, igne, aqua, vllísque perturbationib⁹ hinc auelli potest: auditque perpetuò illud Apostolicũ pius. Obsecro vos in Domino, Fratres, vt sitis solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis, sicut vocati estis in vna & eadem spe vocationis vestræ. Quod si alio fundata fuerit pax, concordia, aut vnitas vestra, Galli, vt certò sciatis opportet, monstrum quod hinc conficitur, nõ minùs, quàm illud de quo loquimur, & habere duo capita, eóque protendere perpetuam dissensionem: neque enim fieri posse, vt in eos oculis & externis actibus agamus, à quibus spiritu & animo seiuncti & separati simus: hinc Tertulianus. Quis nõ æmulum suum cũ videt, patitur? Quis oculis in eum potest, in quem mentibus non potest? Et Hilarius. Nec fieri

Rom. 8. *Ephes. 4.* *Tertul. lib de trinitat. Hilar, lib. ad Constã. August.*

poteſt, nec ratio patitur, vt repugnãtia congruant, diſsimilia conglutinẽtur, vera & falſa miſceantur, lux & tenebræ confundautur, diéſque & nox habeant aliquam coniunctionẽ. Bonum profectò & iucundum habitare Fratres in vnum, ac vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam barbam Aaron, vt ait Pſaltes. At non *Pſal. 132.*
caro, aut ſanguis, illorúmque opera talem conficiunt vnitatem: fragilia admodum ſunt vincula, quibus diſſolutis recrudeſcunt iterum bella & ſeditiones, prioribus multo deteriores
Non coütantur ideo Iudæi Samaritanis: ſed piis piè ac ſanctè coniungantur iidémque ab impiis ſeiũcti, in cõſcientiæ propriæ tranquilitate vitam ſuam degant. Nemo hîc inter mortales ſummam conſtituat fœlicitatem: nemo cupiditati ſeruiat ne, vt ad mõſtrum alludamus noſtrum, ex paruo Deo, & cupiditatũ idolo, animã ſuam *Ioan. 4.*

deformet, monſtroſamque ac duobus capitibus cõſtantem (hoc enim quiſquis Deo & mammonæ ſeruit ſpecialiter perficit) ſuo magno incommodo, extremáque turpitudine reddat. Audiamus ideo quid loquatur nobis Dominus Deus, loquens pacem in plebem ſuam, & ſuper Sanctos ſuos, & in eos, qui pœnitentia ducti, cordíſque vero dolore tacti, conuertuntur ad cor. Id ſi fecerimus, non erit diuturna monſtri Gallici vita, nos alioqui breui, noſtra ipſorum, iniuria perituri.

Pſal. 85.

Ioan. 4.

ORATIO.

Conuerte ideo nos Domine, & conuertemur. Auerte (inquam) faciem tuam à peccatis noſtris, omneſq; iniquitates noſtras dele. Reſpice in ſeruos tuos, & in obſeruatione mandatorum tuorum greſſus eorum dirige, vt ſit ſplendor tuus aſsiduè in nobis: ſplẽdor, inquam, ille ſacratiſſimus, quo à Clodouæo ad noſtra vſque tempora Regum ac Principum corda, patrúmque noſtrorum animos illuſtrare dignatus es. Seneſcere videmur, fateor, præteritis & iamdiu nobis be-

neficiis, paterna tua manu collatis, filiali haud respondem⁹ obsequio. Laua animas nostras quia peccauimus tibi. Vnitatem ac pacem non mundi, aut carnis, sed Christi quam mundus dare nō potest, largire filiis tuis. Coniungat eorum animos una fides, vnáque Christiana charitas, quos una, eadémque Christi Saluatoris caro pascit ac vegetat: vt vno eodémque sub capite, vnius & eiusdem Ecclesiæ Catholicæ viua membra effecti, & in eadem ad finē vsque vnitate perpetuò cōseruati, te vnà cum Angelicis spiritibus ac Electis omnibus, in æternum laudare ac benedicere, tibique perpetuas gratias agere valeamus, Qui trinus & vnus & regnas Deus in secula seculorum. Amen.

IN LAVDEM ARNALDI Sorbini à Sancta fide dicti, Regis Cōcionatoris præstātissimi, super eius opere de mōstris I. Rausellus apud Vticēses Regius magistratus.

GNaua si quondam superis vetustas
Dixit Alcidem meritò locatum,
Quòd tot in terris fera monstra miro

Robore vicit.
Quid, rogo, nostrum pia gens per æuum
Dicat, humanis grauiora formis
Monstra Sorbino superante? docti
Pangite vates.
Atque musarum chorus ipse, quamquam
Temporum spectat varium rigorem,
Herculem gallum canat, & nouandos
Eius honores.
Multa complexi breuibus fuistis,
Plura sed restant super his, opinor,
Hoc item lenis tenui fatetur
Carmine Sappho.
Ille monstrorum domitor ferorum,
Vt refert ætas bene fabulosa,
Maximus neruis fuit, & pauendis
Ictibus acer.
Mentium vindex sacer hic bonarum,
Hic malignarum moderator ingens,
Efficax sanctæ Fidei minister,
Præcóque summus.
Ore diuino cerebri tenaces
Dæmonas pellit, perimitque diros
Hæresum fœtus noua abominandis
Monstra figuris.
Hercules ergò nouus hic per Orbem
Vsque præcellat, superétque priscum,
Et diu felix resonet verendas
Regis ad aures.



SVMMA CAPITVM, QVAE *toto hoc Tractatu de Monstris continentur.*

FINIS.

Errata ſic corrigito.

Fol.3.p.2.l.11.nũquã intereà.f.7.p.2.l.14.f.12. p.1 l.23 aptabuntur f.18 p 1.l.11.varis.f.18.p 1. l.16.ceru:cemf..18.p 1.l.18.fore & f.21 p.1.l.23 (ſic enim.f.21.p.2.l.11 (excitat.f.21.p.2.l. 23. ſtipendium f.22.p.1.l.2.Gildo Comes.f.25.p.1l.

16. demiſſos .f.35.p 1.l.5. mitiges f.40 p.2.l.22 deme rerũ m f 44.p.2l.3 d.paßis velis f.48 p 2 l.14.portentum f.52.p 2.l.3. expectant. f.53 p.2 l.12.d.contrà.f.56 p.1.l.vltima vt coadunemur. f.56.p.2 l.21. at inquo.f.58.p 1.l.vltima hiſtoricis ſcriptoribus f.59.p.2.l.17. Et omnium maius f.62.p.1.l.vltima te adoramus f.62.p.2 l.17. d. sarne.f.63.p.1 l.6. coaduna membrorum.f.73.p. 2.l 4.ornati incedebant f.126.p.1.l.18. diuina manu ducis.



